340 7.8. 4.10


THE WORLDS SWEET INN FROM PAIN AND
WEARISOME TURMOIL.
SPENSER
EX LIBRIS
FREDERIC IVES CARPENTER

340 7.8. 4.10


THE WORLDS SWEET INN FROM PAIN AND
WEARISOME TURMOIL.
SPENSER
EX LIBRIS
FREDERIC IVES CARPENTER

Gwinne, Matthew

NERO,
TRAGOEDIA NOVA.

MATTHÆO GWINNE Med. Doct,
Collegii Divi Joannis Præcurſoris
apud Oxonienſes Socio
collecta

è *Tacito*, *Suetonio*, *Dione*, *Seneca*.

OVID.

Tam fœlix utinam, quam pectore candidus eſſem.

LONDINI,
Typis *M. F.* Proſtant apud *R. Mynne*,
ſub inſigne *Divi Pauli*, in *Little Brittaine*, M. DC. XXXIX.

PA8523
G9N4
1639

Frederic Ives Carpenter
Memorial Collection

1175408

Prudentiâ, honore, æquitate clarissimi Domini THOMÆ EGERTONI Magni Sigilli Angliæ Custodis insignissimi, Illustrissimo Hæredi filio *Ioanni Egertono*, & Generosissimo genero, *Francisco Leigh*, Musarum optimis fautoribus, cultoribus. D.D.

AGuntur Londini dum scribo, Bacchanalia: num & quod scribam? Aguntur Cantabrigiæ, ut audio, nonnulla hujusmodi. Quòd agantur placet; placet, quòd audiam; quid si aspiciam? τὴ δὲ εἰ αὐτοῦ θηρίου: ut ille de Demosthene? Quin & agantur liberè, ut servis hodiè, sic mihi libero, non dico ad mensem, sed magis ad

Æschin. Plin. l. 2. ep. 3.

mentem Saturnalia? Quidverò? inquit Menedemus.

Ter. Heau. act. 1. sc. 1. *Tantumne ab re meâ medicâ otii est mihi,*
Aliena ut curem, eaque ad medicum quæ nihil attinent?
Chremes respondeo: *Homo sum, humani à me nihil alienũ puto.*

Hoc mihi in otio negotium, ne otiosus. Hoc abs re (metuo) meâ; sed in rem (spero) aliorum. Quin aliorum qui procurat, nec suam rem negligit, quòd alios, ut decet, diligat; nec, ille ut cecinit. *Dimissis propriis aliena negotia curat*; fortè & otia. Quod ἀλλοτρίωτον, sit a me alienum: Lumen de lumine, aquam è flumine, vel alienis, commodare, non est, non debet esse, alienum. Nam si cujusquam, quin si regis, vita mehercle medici est cura aliorum. Quin ergo ista medicè? Sit sanè præmium ex opere cum facio; sit fortè

Pelicrat. l. 1. c. 1.

pretium

pretium in operâ cum prælego; at operæ non erit pretium si scribo medicinam. Tot, tanta, talia, tot, tanti, tales jam typis consignârunt, ut illorum illa (ille quod monuit) evolvere sit tædio, ediscere fastidio, in praxin perducere plusquam tormento: plura affingere sit labor multus, excudere vix locus, nedum nostratibus lucrum typographis. Non doctus dico, sed expertus. Sed cur ista poëticè? Olim sic libuit. Quin ergo comicè? Demum non decuit. Etsi & sciam quiddam altius poeticè, & acutius ut scribam comicè, quàm ego quidquam sapiam. Num ergo tragicè sufficio? Pro me loquantur Tacitus, Suetonius, Dion, Seneca: nam & loquuntur ipsi ferè omnia: ego tantummodò modos feci, ineptus tibicen in comœdia. Sed tragica an quenquam decent? Quidni? *Polcmor.*

An virum nostri ordinis? Quin me? An ne honestamenta Musarum? Musas (ni fallor) dehonestat, hâc notâ qui inurat castam castarum sobolem: ne dicam gravius, & subiratior sic illas tuear, ut mea Pythias meam Octaviam. Quin hoc ipsum ni rodat mirum, πάντων ἐπιλήπτωρ, vitilitigator, qui rodat (puto) corpus Domini; nisi sit magis Taciti, qui apud illum maximi, quàm meum, qui minimi. Quo nomine & ista, & ex illo audiat.

Tac. Ann. l. 14. *Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas: nec cuiquam judici grave, aures studiis honestis & voluptatibus concessis impartire.* Quin quod adjungit, in quinquennali ludicro per noctes, & per Neronem instituto, *nullo insigni dehonestamento spectaculum transiisse.* Nec vero vel Aristonem Livii, vel Ciceronis Roscium, Æsopum

pum ſic aſperget os impurum & putidum, quin loco demum ſint honeſto ut ſcenâ digniſſimi, ſic curiâ; etſi in ſcena Roſcii, at viri meliores; plus veritatis poſſideant, quàm diſciplinæ. Quin inſtar omnium, pro me ſic Plinius, acſi de ſe loquatur, & Studioſus, & Senator. *Facio nonnunquam virſiculos, ſeveros parum facio, comœdias audio, ſpecto mimos, lyricos lego, ſatyricos intelligo, rideo, jocor, ludo; utque omnia innoxia remiſſionis genera breviter complectar, homo ſum.* Quid quod addit *doctiſſimos, graviſſimos, ſanctiſſimos, qui ſcriptitârint*, recitârint, *quorũ non ſeria modò, verum etiam luſus exprimere laudabile*: nominibus patriciorum, poetarum, Imperatorum pluſquam viginti quatuor actorem hunc ut poterat. Quin de Nerone ſic reſpondet: *non corrumpi in deterius, quæ aliquando*

Cic. Roſ. Com.

Plin. l. 5. ep. 3.

quando etiam à malis, ſed honeſta manere, quæ ſæpiùs à bonis fiunt, nec ſanctitatem morum diſtare ordinibus. Sic ille dixit, vixit: cujus, quos vocat luſus majorem gloriam huc uſque conſequuti, quam hujus unquam conſequentur ſeria. At ſcribi fert: quin legi? & legi; quin ediſci? & ediſci; quin recitari? & recitari; quin audiri? & audiri; quin agi? quin ſpectari? Si idem adeſt animus, de actu parũ intereſt. *Viva vox magis afficit* in omnem partẽ. *Sint acriora quæ legas, at ſedent altiùs in animo, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis affigit.* Recitari nonnunquã frigidè, perabſurdè, intelligo: ſed ab eo cui latera, cui manus, cui cerebrum, non plumbeo, non ſtolido, non aſino, ſic recitari vix conceſſerim. Quin Italis non alienis à Latinis, *recitar' una comedia*, id idem eſt quod agere.

lib. 2. ep. 3.

Honeſti

Honesti demum nomine, Georgiani, Equites respondeant è suâ periscelide, *Honi soit qui mal y pense.* Mala mens, malus animus. Boni, non nisi benè, de quibusvis dum norint; mali, non nisi malè, vel de bonis cum norint, unquam conjicient, ex conjectura judicabunt, ex judicio pro rostris prædicabunt. Plus indecori, inhumani, illiciti, (quod unquam senserim) vident qui absunt, imaginantur qui obtrectant, memorant qui maledicunt, quàm qui interfui, vidi, audivi, cogitavi, vel (vigilans si somniaret) somniavi. Qui secum in angulis versantur, ne cum malo homine versentur, videant. Hìc ne quid mali lubeat, spectantem pudeat in tanta luce conspici agentem (ne pejus dicam) aliud: sin lubeat, non vacet, aures dum arrigit, attendit animum, ne effluat quid audiendum:

dum : ſin vacet, non liceat, quod ora, oculi, mores, mentes undiquaque ſpectantium prohibeant, inclament, averſentur.

Ariſt. l. 1. cp. 1. f. Polic. l. 3. c. 8.

Ἀπίτω ῥθόνος, ἀπίτω βασκανία, ut ait Ariſtænetus. Quin *mundus univerſus*, ut Joannes Sarisberienſis agit Arbitrum, *ſi mimum implet, exercet hiſtrioniam; ſi vita omnium comœdia, imò tragœdia; ſi nomine comœdiæ vel tragœdiæ tanta eſt area, quantus eſt mundus; nec excluſus admittitur, nec incluſus emittitur :* Joannes aliquis, qui Sarisberienſis eſſe non recuſet, qui deniqne ſpectator, actor, comicus, tragicus, ſcenicus recuſet eſſe? aliis quòd ſint, exprobret? Larvatus dici ſuſtinet, ſed metaphoricè : quin potiùs reverâ perſonam, ut monet Epictetus, ſuſtinet? At impoſtura hæc. Quâ ſcilicet qui decipit, & qui decipitur, eſt non decepto melior. Sed quem fefellit

Epi. ench. c. 59.

fellit non ἀναίσθητον, vel puer ut fæmina, vel ut rex nebulo, vel idiota ut philoſophus, quin idiota, puer, nebulo agnoſceretur. Nempe magis

--fallunt animi ſub vulpe latentes, Hor. art. po. 437.

qui *Aſtutam vapido ſervant ſub pectore vulpem,* Perſ. ſat. 5. 117.

quod fit in vita pluribus; quàm qui perſonas induunt, exuunt, ſe ſimulare non diſſimulant, citant ut recitent, dum mortuos viventes repræſentant; quod fit in ſcena hiſtrionibus. Tam putem puerum Octaviam quæ olim fuit, quàm quæ nunc non eſt, fœminam. Ferendi magis igitur qui ferè fallunt ut delectent, quàm qui delectant ſpecie ut fallant opere, qui hominem in vulpe, quàm qui vulpem referunt in homine. At ſcenicorum tandem peſtes crambe (ut audio) coxit nobis; & illis invexit (vereor) incognitas, immeritas, inuſi-

inusitatas. Quid aliud, si Socrati non scomma solum in scena, sed & cicutam propinassent? si meruissent, si feciſſent, feciſſe immeritò quæ arguntur? si infeciſſent illos, valere qui se sentiunt plus quàm absentes Momos? Maledictum ingerere tam pestilens!

Virg. Æn. l. 1. 15. — *tantæne animis cœlestibus iræ?*

Mitiùs; mitiùs. Quid enim? num melius in magistratus invehi, sævire in minores, suos suspicere, damnare alios

Hor. art. po. 444. *Vt sine rivali sese & sua solus amârit?*

idque sub zeli spiritu? idque è suggesto theologico? idque bene precari cum magis deceat quàm malè ominari? Verùm tragicè si placuit, quin placuit ad modos veteres? quin ad leges poeticas

Hor. ib. 192. — *ne quarta loqui persona laboret?*

certè

certè ἀρχαῖα δέινα. Nec dicam facilè, majoris an ingenii, an artificii pauca multis extendere, an multa paucis comprehendere. Hîc tamen magis placuit, quam finxi, καινοπρέπεια, quàm iners, quam fugi, παλαιότης. Vivo moribus præteritis: loquor verbis præsentibus. Non pedem calceo, sed pedi calceum accomodo. Nec nimis à veteribus recedunt ista, & ad nostros accedunt satis. Dormivi forsitan in primis actibus: at non defeci in extremo, qui per se compleat non absonam tragœdiam. At isti tragœdiæ quæ scenam instruant (ut olim ille) circa Oxonium vix arbores ligna suppeditent. Tuæ (respondet ille) tres sufficiant. At cur non acta? Non dico, quod non apta; fortè nec scripta in hunc finem: etsi utrumque innuat & personarum multitudo & longitudo inæqualis

Cast. aul. l. 2.

inæqualis actuum ; & modus tractandi non plausibilis. Nec dico quod non oblata : nec enim debui, qui multum, qui me debeo Collegio in primis Joannensi, tunc ejus Præsidi dignissimo, dein Sociis doctissimis, *Paddæo* demum nostro beneficentissimo Convictori, quod apud illos exaratum, certè non debui non offerre : etsi sic (fateor) obtulerim, ut quàm acceptam, melius repudiatam tulerim. Repudiatam dico : ille dum consulit respublica ne detrimentum capiat, iste ne res privata : alter, *Melius, pejus, prosit, obsit, nihil videt nisi quod lubet :* alter, etsi nihil rectum facit,

Ter. Heau. act. 4. sc. 1. Ade act. 1. sc. 2. act. 5. sc. 5.

——*nisi quod ipse facit nihil rectum putat :*

apud alios

Hoc licet impunè facere huic, illi non licet,

Non

Non quòd dißimilis res ſit, ſed quod is qui facit :

apud alios ſic valet φιλαυτία, ut aut Cæſar, aut nihil. Fœlix temeritas : aperta eſt vomica : ſiquis cujuſpiam affectus inimicus, ab omnibus effectus amiciſſimus. Sed ſi repudiata, cui cedet in conjugium ? Intacta, illibata, inviolata cui non cedet ? *Tanto majorem* (inquit ille) *apud doctos habere debet gratiam, quanto minorem apud indoctos habet.* Quo nomine cum cogitarem Patrem (par nobile) veſtrum, *Plin. l. 2. epiſt. 19. f.*

Quem nemo fando dixerit,
Qui non priùs laudaverit : *Auſo. epiſt. 16. 37.*

mox me mea reſpiciens, ſic & ad illum,

Effugiunt curas inferiora tuas. *Ovi. Triſt. l. 2. 218.*
—in publica commoda peccem, *Hor. l. 2. ep. 1. 3.*
Si longo ſermone morer tua tempora Cuſtos.

Nec

Ovi. Met. l. 5. 335. *Nec noſtris præbere vacat tibi cantibus aures.*

& ad me retuli,

Ovi. Pont. l. 1. el. 3. 8. Triſt. l. 2. 216. *Hæc eſt cæleſti pectore cura minor.*
Non vacat exiguis rebus adeſſe Iovi.

Cum tamen plurima meo meorum nomine illius beneficentiæ diù debuerim, ſim ſemper debi- l. 1. el. 5. 16 turus,

Nulla quibus reddi gratia digna poteſt,

quàm proxime accedere, apud vos partem aliquam inſtitui exolvere. Vos idcirco

Hor. ſat. 5. 31. l. 1. Vir. æn. — *animæ, quales neq; candidiores*
Terra tulit, neque queis me ſit devinctior alter,
Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis:

inertis hoc otii inutile opuſculum, quod nec labor excudit, nec cura limavit, ſaltē cum nihil agitis (Auſonius ut rogat) perle-

Auſon. Ed. proſ.

gatis,

gatis, & ne nihil agatis, perlectũ defendatis. Cui non placet, ne legerit: aut cum legerit, obliviſcatur : aut non oblitus, ignoſcat. Valete in virtutum omnium exempla geniti.

Londini ex ædibus Greſhamiis in feſto Cinerum. 1603.

Veſtro devotus nomini,
devinctus ordini,

M. G.

Ad Juſtum Lipſium de hoc *Nerone*,

Ipſi, Neronem nunc habe; votis tuis
Oculiſque dignum: quique puerilem putas
Octaviam illam, quam rudis mundus jubet
Senecæ imputari, Iuſte, præſentem loco
Subſtitue: Seneca ſic enim iratus jubet.
Μετριώτερον ille millenam miſer
Senſit, querelas antequam poſſet ſuas
Linguâ referre propriâ; tandem tamen
Exore Gwinni priſtinum ſervat decus.
Gagere, Buchanane, nec Beza invide.
Videte; talis Seneca qui Gwinnus, fuit.
Qui judicas fatere; qui neſcis, tace.

Jo. Sandaburg Joannenſis.

Actorum nomina.

Nemesis
Tisiphone
Alecto
Megæra. } Chorus.

Vmbra Valeriæ Messalinæ.

Claudius Tiberius Nero Imp.

Britannicus Claudii filius ex Messalina.

Octavia ejusdem ex eâdem.

Calistus
Narcissus
Pallas } liberti Claudii.

L. Vitellius Censor.

Ælia Petina repudiata uxor Claudii.

Lollia Paulina vidua Caii Cal. Imp.

Iulia Agrippina vidua Domitii Ænobarb. soror Caii, neptis & uxor Claudii.

L. Syllanus Prætor, sponsus Octaviæ.

C. Pompeius
Q. Verannius } Consules.

DOMITIVS NERO Imp.

Centurio.

Centurio.
Agerinus libertus Agrippinæ.
Vmbra Claudii. Act. 2.
Equites Romani quinque.
L. Antistius Consul.
L. Annæus Seneca philos. Senat.
Afranius Burrhus præfect. Prætorian.
Locusta Venefica.
M. Sylvius Otho maritus Poppææ.
Vmbra Britannici. Act. 3.
Charon portitor.
Poppæa Sabina primùm Rufi Crispini, tum M. Othonis, demum Neronis uxor.
Parìs histro.
Anicetus libertus, classis apud Misenum præfectus.
Herculeus trierarchus.
Olearitus Centurio Classiarius.
Vmbra Agrippinæ. Act. 4.
Sophonius Tigellinus. } *præfect. Prætorii.*
Fenius Rufus. }
C. Vipsanius }
Fonteius } *Consules.*
Thraseas Pætus } *socer.*
Helvidius Priscus } *gener.*

Pythias

Pythias ancilla Octaviæ.
Vmbra Octaviæ. Act. 5.
Cives Romani quatuor.
Cubicularius Neronis.
Pompeia Paullina uxor Senecæ.
Cleonicus libertus Senecæ.
Subrius Flavius Tribunus.
Sulpitius Asper Centurio.
Antonius Natalis Eques.
C. Piso Calpurnius
Plautius Lateranus } *Senatores.*
Flavius Scevinus
Lucanus Annæus
Epicharis libertina.
Milichus Scevini libertus.
Vxor Milichi.
Volusius Proculus Chiliarchus.
Epaphroditus Neroni à libellis.
Granius Silvanus Tribunus prætoriæ cohortis
Vejanus Niger Tribunus.
Martius Festus Eques.
Centurio Granii.
Capito Cossutianus.
Petronius Arbiter.

Pueri illius ſymphoniaci.
Paconius Agrippinus.
Ruſticus Arulenus Tribunus Plebis.
Demetrius Philoſophus Cynic.
Arria uxor Thraſeæ Pæti.
Domitius Cæcilianus.
Quæſtor Conſulis.
Neophytus libertus Cæſaris.
Calvia Chriſpinilla nutrix.
Sporus exectus & veſtitus ut Poppa.
Gerelanus Tribunus Prætoriæ cohortis.
Phaon libertus Neronis.
Cives Romani duo.
Miſicius miles Prætorianus.
Centurio Prætorian.
Voces imùs civium aut militum.

Poſ

POst horrendum fragorem, fulgur, tonitru ; ab Inferis emergit Chorus Noctigena è Nemesi & tribus Furiis ; qui quasi præses tragœdiæ ubi perambulatâ scenâ consedit tacitus, diversis sellis ; Lydiâ subinde concinente musicâ, Valeria Messalina Imperatrix cum Caio Silio adultero, strepente circùm procaci choro, gerit cothurnos, thyrsum quatit, ducit choreas, illa crine fluxo, hic vinctus hederâ. Liberti interim (qui summa apud Imperatorem dignitate, gratiâ) Narcissus ab Epistolis, Pallas à Rationibus, & Calistus, horrescunt, demirantur, fremunt : an accusanda Imperatrix consulunt ; hi metu desistunt ; illa impetu se proripit ad Claudium. Mox tubis resonantibus ab Hostia procedit Claudius, cui instat Narcissus ad latus, & ad aurem, ne detur locus audiendæ Messalinæ, quæ filio Britannico, & filiâ Octaviâ comitantibus it obviam, quasi deprecatura lachrymis, in genua provolvitur. Narcissus amovet. Claudius non movetur : pergit in aulam. Narcissus in scenam rediens & Messalinam & Silium, quasi ad necem trahit, accinctus militibus, qui cædem exequantur. His per silentium (nisi quòd musica accomodetur tragica) peractis, sic προλογίζει Nemesis.

Nemesis.

E Missus atro Dite quid spondet chorus ?
Cædem, ultionem, lachrymas, cladem, nefas.
E filiabus quatuor Noctis nigræ,
Nocturna scelera, infesta quæ prodat dies.
Debita sceleribus flagra, fustitiæ manus, Arist. de mund.
Distribuo Nemesis ; siquis insequitur scelus, Nat. Com.
Iusector Adrastea, nec quisquam effugit. myth. l. 9.
Indesinenter urget Alecto minax c. 19. l. 3. c. 10
Libidinosos ambitus : odium gravat
Megæra : cædem cæde Tisiphone aggerat,
Multatq́; Erinnes furere lymphatos agunt :
Theatra digna prorsus inferno Choro.
Quòd si Tragœdis materia primùm malis
Fatheticis turbata, lachrymosa, horrida,
Quæratur ; ullum terra sustinuit, tulit
Natura, vidit Phœbus, historia edidit,
Vel par NERONI, vel parallelum malum ?
Quan si sit illis arbiter verum Chorus,
Iudex, vel index, qui malis obstet, bonis Horat. art.
Faveat, utrisque sua tribuat, oret Deos, poet. 191.
Fortuna miseris redeat, à tumidis eat ;
Quin nos facinorum vindices, æquæ arbitræ ?
Agenda quin prædicimus, quoniam Deæ ? Orph. hymn.
Interpretamur acta, Justitiæ assecla ? *Eumenid.*
Acta, vel agenda, linquimus inultum nihil ?
Nunc, unde veniant, scelera, quæ venient, loquar.
En Messalinæ quàm procax amor, an furor !
Quæ quàm impudica, & impudens, Satyræ canunt ;
Lassata, nec dum satura, quòd fuerit viris. Juven. Sat. 6.
Prodiga puderis, hactenus tandem pudens ; 130.

Ardere Silium, niſi virum ducat, pudet.
Ardet, nec audet : *audet, (ô facinus!) viro*
Vivente, propè vidente, ſibi mœchum virum
Inducere : furit Bacchadum infœlix modo.
Remedia Silius unica periclis putat
Pericla : *ſcelera cum patent, audax juvet* Tacit. Annal.
Furor : innocentes tuta conſilia expetant. l. 11. f.
Incautus, iræ properus Auguſtus citò
Premendas illis : conjuges iſti imperent.
Auſa, alia tanta, Claudii horreſcit domus.
Flagrante Pallas gratiâ, haud animo ſatis.
Acer, potens, Calliſtus; at cautus magis.
Narciſſus urget ; nec mora, accuſat : rogat,
Suumne nôrit ipſe diſſidium ; tenet
Vrbem maritus, inquit. Hinc ſtultus Senex,
Vxoriúſque, mox fremit, ſed mox tremit ;
Tremenſq; regitat, an ſit imperii potens ?
Privatus an ſit Silius ? hinc atrox ruit
Procella veniens Hoſtiâ : occurſum cupit
Accincta mater liberis : ſed non viro
Audita, vel neglecta, vel minimè placens.
Rediviva ne ſit gratia, *ſuperbam premit*
Adulteram libertus. Hinc ſcelerum ſeges,
Quæ mox agenda. Sed nec in ſœva ſilet
Xiphilinus iſtâ ; nec tacet Tacitus ; nec eſt
Tranquillus hîc Tranquillus : hiſtoricos putet
Fieri poetas. Iſte locus at quid valet ?
Quid grex puſillus, comicus tragicis ? ſed eſt
Voluiſſe in iſtis aliquid. Aut iſta æquiùs
Accipite, vel vos Nemeſis, urgebit pari.

ACT.

ACT. I. SCE. I.

Umbra Meſſalinæ, & Silii.

Miſerande Conjux, conjugem quidni vocem, *Tac. Ann. l. 11 f.*
Quem Juno thalamo, fata junxerunt rogo?
Quem non ſecundo numine, ſecundum
Urbs tota vidit, vir prior vidit virum? (mihi
Quid ſede ab ima, ſed tamen ſede exeras?
Quid ora facibus, anguibus pectus petis?
Quid uris, urges, trudis, exagitas, furis,
Inſtas, minaris? nos decet furias pati;
Non eſſe furias: ſceleris authorem, comes
Perſequeris? egi, fateor, & cœpi nefas,
Tu præſtitiſti; mihi virum, regnum tibi
Dum petimus: à me tu tamen pœnam petis?
Ne metue, dabitur magna: vindictam petis?
Confide, dabitur horrida: tyrannum petis?
Deſiſte, dabitur fractus, inviſus, miſer,
Quo nos perimus, ſcelere periturus pari.
Quid quæris ultra? dabitur: id lentum putas?
Datur: an & illud? jam datum morti ſcias,
Morti, expaveſcat quam dies; Roma horreat.
Me mihi relinque: repete ſecurus Stygem. *Deſcendit*
Te, te, Imperator vilis, at Conjux ferox, *umbra*
Ultra quæro: *te Arge criminibus meis,* *Silii.*

Tuiſque talpa, quæro: portentum viri, *Suet. Claud. c. 3.*
Vel ſtulte, vel rex nate: ſic mater, ſoror, *Senec. apocal.*
Sic avia de te ſenſit. At primùm meos
Sapis in dolores: innocens perimi jubes,
Neſcis peremptam: ſiccine? excidimus tibi?
Non excidemus: fata ſi novi tua,
Tibi Meſſalinam conjugem optabis Nero:
Adero; ſed umbra. Te ſoror & uxor Jovis,
Te Trivia ſylvis, Luna cœlo, Hecate inferis,
Te nuptiarum præſes Hymenæe invoco,
Novis adeſte nuptiis, quales meis
Olim adfuiſtis; numina quid alta invoco?
Ad ſcelera citiùs inferum accurret chaos.
Si nequeo ſuperos flectere, movebo inferos.
Adſis ſuperbi ſceleris ô vindex Dea:
Adeſte tinctæ ſanguine, veneno, nece
Eumenides, angue cinctа Tiſiphone veni,
Veni Megæra, triſtis Alecto veni.
Hoc agite, ferte ſcelera: *ſit ſtuprum leve,*
Libido virtus, fraus fides, odium favor.
Inceſtus ipſo in limine quid intrò occulit?
Ambitio vetitum nil, nihil ſacrum putet.
Obliterentur vetera criminibus novis,
Neque innocentem faciat egregiè nocens,
Conjux marito, patruo neptis, gener
Socero, patrique filius (timeo loqui)
Imperia, (quid dico imperia?) vitam auferat.
Hâc hâc eundum eſt: has Agrippinæ faces
Fero nuptiales, immo ferales rogos.

ACT.

Claudius imperator, cum suo comitatu. Callistus. Narcissus. Pallas. Vitellius. Britannicus. Octavia. Petina. Paulina. Agrippina. Domitius.

Claud. Imperia quisquis metuit, & parva jacens
Contentus aurâ littus admotum legit,
Tergumque satis perfidum lapsis dedit,
Me cernat, & te Roma: vix ætas tulit
Exempla quævis paria, quàm stabili bono
Fruerentur αὐτοκράτορες terræ Joves.
Augusta rerum Domina, & Europæ caput
In astra surgit Romuli angustus labor;
Et talis annos bis quater centum stetit.
Nos Phœbus oriens, per polos currens, cadens,
Nos Syria Nino, Persis ex Cyro potens,
Græcia Macedone; nos Capro terra addita,
Nos Asia Cancro, Ursæ Scythia, Libræ Africa,
Ultra Lyæi terminos, anni vices,
Ultra columnas Herculis, Solis vias,
Nos terra novit omnis, & novit duces.
Cœlo statuimus gloriam, imperium solo:
Cœlo capita locamus, ingredimur solo.
Cæsare favente, comite fortuna, duce
Virtute, vinci quod volo, victum dabo.
Vicisse juvat; at esse vincendum nihil
(Da patria veniam) dispudet: *dubito tamen,*
Egone potius Cæsari, an Cæsar mihi
Invideat: ille Britonas ostendit feros,
Ego subjugavi; vidit, ego vici; tulit
Repulsam inultus, ego triumphavi inclytus.
Quin (quod beati principis proprium reor)
Cedit sedenti, vel reluctantes vorans

Oceanus, urbes retibus præbens meis.
Nec sortis esse reputo vulgaris, virum,
Quem petere mos est, æmulis thalamis peti;
Formâ venustis, genere nobilibus peti.
Libet, orbe domito, *genium & ingenium sequi*,
Tractare thyrsum Bacchi, & Alcidæ colum.
Levamen habeo mortuæ uxoris, novam
Eligere quod jam cæpi uxorem licet.
Sit causa, sit libido, sit fervens amor,
Eligere certum est: nec thorus viduus placet;
Nec arat subactum bos jugo liber solum.
Phœnix jugales sola non novit faces.
Dicite, corona pulchra vincenti datur.

Narcissus. Dive Imperator, proximum Marti caput,
Aptus videtur conjugis judex bonæ,
Qui verus index, non malus vindex malæ.
Valeria mortem meruit; accepit: probis?
Petita thalamis digna; sollicitat: negas?
Nempe inde pulsa: fateor; at causæ leves;
Et pœna faciet nequid admittat novum.
Mala retinemus cognita: quid ergo bona?

Calistus. Auguste Cæsar, vice Jovis teris date,
Iras repudia longa non faciles ferunt:
Animos reducta gratia haud humiles parit.
Paulina Caio nupta, se dignam dedit
Cæsare: sit hæres Claudius regni & thori.
Tuos fovebit liberos, nullos habens;
Steriles novercas matribus dicas pares.

Pallas. Invicte Princeps, columen Augustæ domus,
Cui fama palmam, buccinam, pennas sacrat,
Intexta lauro myrtus ut cingat caput,
Inclyta Thalestris petit Alexandri thoros.
En fratre nata, fratris in Thalamos tuos
Trahit nepotem, regio natum omine,
Clarum, familiâ Claudiâ, charum omnibus.

Facundi-

Fœcunditatis fœmina expertæ, integrâ
Ferox juventâ, Cæsarum nomen vide
Ne stirpem in aliam transferat: Juno Jovis
Cubet in lacertis, Martis in gremio Venus.
Narcissus. Ælia marito, nota non alium colet.
Cali. Lollia maritum, & liberos unà colet.
Pallas. Julia maritum, liberos, cives colet.
Nare. Petina Juno copiis: Juno placet?
Calist. Paulina Pallas artibus: Pallas placet?
Pallas. Juno, Minerva, Venus, Agrippina: an placet?
Claud. Placet hæc & illa; quæ tamen placeat magis,
Dubito, hanc & illam dum nimis cupio meam.
Qualis juvencas inter incedens duas
Taurus decore amabiles, formâ pares,
Huc flectit oculos, hucque reflectit suos,
Incertus utram, cupidus utriusque, involet:
Talis Deabus novus Alexander tribus,
Cui pulchriori detur ex auro decus,
Dubito; nec interest; dubito multum tamen.
Appulsa navis in Beatorum insulas
Si cuncta, avara; stulta, si nulla avehat.
Inops in omni copia, cupio, & fruor.
Sed audiantur æmulæ primùm Deæ.
Æ. Pet. Quòd, me relictâ, Lydiam Alcides nurum,
Thebanam Jason foveris, Graiam Paris,
Dolore tacito, debito obsequio tuli.
Dolor feroces flectit, obsequium feras.
Non arma, non venena, non diras tuli:
Amor arma, lachrymæ toxica, & diræ preces.
Sed fulminatâ, Jupiter, Semele redi:
Alitne, tandem Jupiter noster redi.
Per dulce matris, dulcius natæ caput,
Per solita vota, perque communes laces,
Per sacra, & ignes, nuptiis testes tuis,
Recipe Petinam gratiæ, imperio, thoro.

Le. Paul.

Lo. Paul. Si quid Neronis Æliam attollat jugum,
Si quid Neronis Juliam illustret genus,
Nihil Neronis Lolliam obscurent faces.
Sed hæc Neronum decora, non nostra arbitror:
Sed sic amet me Cæsar, ut amatur mihi,
Ut pia noverca Cæsares solos amem.
Sic in Nerone maneat imperii decus,
Sic a Nerone manet in sobolem piam,
Sic sub Nerone Roma, sub Roma omnia,
Ut sit Neroni socia Paulina alteri.

Ju. Agrip. Cupido, victor Martis, Alcidæ, Jovis;
Martis Venere, Lydâ Herculis, Leda Jovi;
Martiensem adimens, clavam Herculi, fulmen Jovi,
In non minorem Claudium flammas pares
Jaculare; amores amet Agrippinæ Nero.
Quid vota surdos ad deos demens fero?
Potiùs petatur summus in terris Deus.
Nam mihi supremus Claudius semper Deus:
Illius aras victimæ nostræ imbuunt.
Sed fulminantis Claudii testor caput,
Petina, vel Paulina confertur mihi?
Mihi conferuntur odia thalamorum omnium,
Repudia regum? si bene, quid urgent novos?
Si malè repulsæ, conjuges culpant suos.
Scelus in utroque est, sive fateantur scelus,
Sive in maritos transferant. Caium pius
Hæres tuere, facta confirmes tua.
Has consulari, me triumphali patre,
Germanico Nerone, germano tuo,
Cæsare creatam cernis? & dubitas adhuc?

Petina. Neptim nefandum est ducere, uxorem piam.

Paulina. Viduam fovere regis est regi decus.

Agrip. Expulsa vidua & uxor, an neptim expuant?

Petina. Mihi sit maritus Claudius, adulter tibi.

Paulin. Mihi Caius hæsit conjugi, incestæ tibi.

Agrip.

Agrip. Me frater amet, & patruus, vos oderit.
Claud. Amo te: nec odi cæteras: pariter placent.
Est forma in illis, Juliæ innata est Venus.
Est lepor in illis, Juliæ Suadæ insidet.
Est splendor illis, Juliæ Divum genus.
Quæ me maritus præferet reliquis? *Omnes.* Ego.
Claud. Ego quam Deabus præferam? *Petina.* Me.
Plau. Me. *Claud.* Vocas
Julia'? Neronem recipe, & imperium, & thoros.
Vitel. Bene sit Neroni, Juliæ, imperio, thoro.
Claud. Bene sit Vitelli. Sed quid hoc? pectus labat:
Nescio quid animus refugit, at refugit, scio
Aliquid, nec illud vile: quid feci miser?
Feciste quod pœniteat: at feci miser.
Instant procellæ, maria sine vento tument.
Auguria terrent, modo micans flamma occidit,
Et modo refulget: doleo, an horresco magis?
An habet voluptas magna, quod lachrymas ferat?
Vitell. Nec inanis angat Principem fortem timor:
Nec socium inundet Principis inanis dolor.
Causam timoris prome, promendo leva.
Aperta relevat vulnera medentis manus.
Claud. Et plura timeo, & video quæ timeam duo.
Et voto inhibitum, & patruum neptis ferat?
Prætorianis data fides, nullam mihi
Inauspicatos denuò inituram thoros.
Vitellius. Malè quæ voventur, non malè eventu carent.
Claud. A plebe, magis à Cæsare, colenda est fides.
Vitell. Deo, si det aliquid, si rapit, scelus est fides.
Claud. Prætorianis arma quæ plectant rem.
Vitell. Prætorianis quæ colat dominum fides.
Claud. At nupta patruo neptis incestum docet.
Ad ultionem numina incestus vocat.
Vitell. Fratrem & maritum fortè Junonis Jovem.

Claud.

Claud. Populus negabit. *Vitell.* Cæsari populus neget ?
Sic imperatur ? Cæsarem populus reget ?
Claud. Lex prohibet. *Vitell.* Es lex tu tibi. *Claud.* Exemplo caret.
Vitell. Exempla præbe : sed nec exemplo caret :
Barbarica repete regna. *Claud.* Barbariem sapit.
Vitell. At ubique liceat, quod loco quovis licet.
Claud. Natura pugnat. *Vitel.* Dura lex statuit thoros,
Natura non distinguit, invitat magis.
Cognata amantur. *Claud.* More vix licitum doces.
Vitel. Amore licitum fiat. *Claud.* Id Censor doces ?
Vitel. Doceo ; Senatus, Populus id faciam probent.
Claud. Impar Senatum fugio, nec Populum fero.
Vitel. Mihi Imperator objice hoc quicquid fugis :
Populus jubebit ista, suadebunt Patres.
Claud. Ventis & undis huc & huc pulsam ratim
Provide locasti Typhi in optato sinu.
Agrip. Nil habeo pro me quod petam ; summa attigi.
Quite dedisti, quod neges retinet nihil.
Sed ut altiores planta radices agat,
Sed ut arctiores novus Hymen nodos alat,
Duo me rogare Cæsarem natus monet :
Ut natus ex me fit tibi lectus gener,
Ut natus ex me fit tibi dictus Nero.
Claud. Etsi negatum nihil Agrippinæ velim,
Nedum negatum socia quod primum petat ;
Tamen è duobus nescio quod unum negem,
An utrumque potiùs : potiùs utrumque abnego.
Agrip. Generũ atque natum conjugi quisquam negat ?
Claud. Habes utrumque : nempe Syllanus gener,
Et natus hic est. *Agrip.* Ergo Syllanum meo
Præfers ? & istic respuis comitem meum ?
Vitel. Syllanus imparfiliæ conjux tuæ.
Unum Domitium oppone Sillanis decem.

Nihil

Nihil eſt in illo, ſi gener non ſit tuus:
Nil deſit iſti, ſi gener fiat tuus.
Pallas. Subnixa vitis arbore excelſâ, viret:
Robore Domitii filius ſtabit tuus.
Charos nepotes habuit Auguſtus; tamen
Complexus eſt amore privignos pari.
Habuit Tiberius filium Druſum; tamen
Germanicum recepit imperio parem.
Claud. Durum negare quod rogas: durum magis
Eſt non negare: ſi nego, uxori gravis;
Niſi nego, natis: miſera quid pietas agat?
Utrumque nobis nempe decernant Patres.

ACT. 1. *SCE.* 3.

Senatores aut bini aut ſinguli dum eunt in Curiam, obvii Syllanus & Vitellius. C. Pompeius & Q. Verannius Conſules.

Vitellius. Syllane, quò te proripis? *Syllan.* Cenſor gravis,
Rectâ in Senatum. *Vitell.* Non licet. *Syllan.* Cur non licet?
Vitell. Ego te Senatu moveo. *Syllan.* Tu Cenſor quidem;
Ego Prætor, & quod moveat invidiam, gener
Cæſaris. *Vitell.* Uterque ſcilicet fueras, eris
Neuter. *Syllan.* Quid hoc eſt? *Vitell.* Cæſar, & Cenſor movent
Te, te Senatu, munere, & generi loco.
Syllan. Quæ cauſa? *Vitell.* Libuit. *Syllan.* Id ſatis cauſæ putas?
Vitell. Satis: & ſororis haud ſatis purges notam.
Syllan. Notam ſororis? *Vitell.* Dixi, & hoc dicto Vale. *Vitell. in Curiam.*
Syllan. Quæ verba? quæ lamenta? quos planctus dabo? Audite

Audite terræ, & Tartara, & cœlum, & mare.
Conjugia falsus pacta disrupit Nero:
Nero immerentem perfidus generum expulit.
Auditis, & videtis, & vivit Nero?
Vivat pater nefandus, invisus socer;
Discors maritus, sæculi crimen sui:
Generum Procrusten sumat, aut monstri genus,
Socerum, parentem, conjugem, fratrem vorans.
Ecce, ecce pompa ducitur longo ordine
Octaviæ jugalis, at funus mihi.
Fax nuptialis funebrem accendit rogum.
Syllane, morere, morere: genialis thorus
Sit tibi sepulchrum: victimam sacris feri.
Quod timida refugit dextra, perficiet dolor.
Nec dextra refugit, sed diem cædi eligit,
Quo nuptiarum Cæsari invidiam augeat.
Me sequere Cæsar, sic gener duco viam. *Exit. Syllan.*
Vitell. Detur petenti venia, Conscripti patres, *Tac. An.*
Ut summa agatur publicæ primùm rei. *l. 12. p.*
Graves labores Principis, terræ quibus
Orbem capessit, non leve auxilium volunt,
Curâ familiæ vacuus ut patriæ vacet.
Mentis levamen quod potest melius dari,
Quàm socia rebus prosperis, dubiis comes?
Cui tradat animi sensa, progeniem piam,
Non Veneri inausæ, non voluptati datus,
Prima à juventa legibus morem gerens?
Pompeius Co. Malè fertur uni duplicis colli jugum.
Et urbem, & orbem vix Atlas solus ferat.
Multis mariti, cœlibes vivunt sibi.
Est Cæsar, aliquam quòd velit, prudens; pius
Quòd hæret uni: ducat, ô ducat citò.
Vitell. Divum Neronem quia maritandum Patres
Suadetis, opus est fœminam thalamis legi,
Fœcunditate, genere, pietate inclytam.

Quid

Quid multa? talis en Agrippina eminet,
Fœcunditate, genere, pietate inclyta.
Nec sine Deorum numine favente accidit,
Ut vidua nubat Principi experto sua
Conjugia tantùm: audivimus sæclis patrum,
Vidimus & ipsi, conjuges castas rapi
Ad iniqua libita Cæsarum: quod quàm procul
Ab hoc pudore? conjugem potiùs suam
Ad libita Patrum Cæsar abjectus capit.
Conjugia Romæ in filias fratrum nova,
Fateor: sed alibi nota, nec leges vetant;
Sed mos iniquus: pariter ignotus fuit
Thalamus sobrinæ, tempore invaluit dato.
Accommodantur commodis mores: nova
Fuere, quæ nunc nota: hoc ex illis erit.
Veran. Julia Neroni nubat, ô nubat citò.
Id si moratur Cæsar, adigamus Patres,
Et in hoc eamus. *Vit.* Sistite, volentem intuor. *Ingredit.*
Auguste Princeps, prosit imperio & tibi, *Claud.*
Censet Senatus, Populus unanimis jubet,
Piam auspicatâ Juliam jungas face;
Julia potentis nomen Augustæ ferat.
Genti Domitius Claudiæ insertus Nero,
Gener Neroni, Octaviæ sponsus tuæ,
Vicesimo anno Consul, extra urbem interim
Princeps juventæ teneat imperium, volunt.
Claud. Quòd tanta vobis cura sit nostri, placet:
Nec cura nobis, placeat ut vobis, minor.
Sed caveat axes captus ad patrios puer,
Ne incendat orbem, fulmen incensus ferat.
Nemo familiæ Claudiæ est antè insitus:
Sed inde prodit junctus Augustæ Nero;
Et inde natus filiæ charus comes.

Intrant

Intrant Nero, Agrippina, Britannicus, Octavia, Pallas.

Nero. Britannicum ſalvere, Nero fratrem jubet.
Britan. Domiti ſalutem, nempe quam jubeas, habe.
Nero. Domiti? quid hoc eſt? mater, annon ſum Nero?
Claud. Cæſar Neronem, Cæſar Auguſtum ſuis
Nominibus ornat. *Agrip.* Cæſar exornat ſuos:
Sed adoptiones Cæſaris ſpernit puer:
Intrà penates abrogat quicquid Patres,
Populuſve juſſit: nec ſuo Marte abrogat,
Sed ad iſta doctus: iſta qui doceant niſi
Citò arceantur, quis alant flammas vide.
Claud. Flammâ exeduntur ligna, quæ flammas alunt.
Conſilia in ipſos noxia authores cadunt.
Pœna monitorum teneat mentem levem.
Exilia, mortes, ut libet, ſtatuis licet.
Cuſtos novercæ detur arbitrio probus. *Intrat Centurio.*
Sed quid citato Centurio portat pede?
Centurio. Quod imperaſti Cæſar, id factum affero:
Patres trigiuta quinque ceciderunt, tuis
Equites trecenti nuptiis claræ hoſtiæ.
Claud. Ego imperavi? teſtor æternum Jovem,
Non imperaſſe: quas miſer pœnas dabis?
Pallas. Potiùs tuere milites Cæſar tuos,
Ad ultionem ſponte currentes tuam.
Hoſtes fuerunt. *Claud.* Ergo ſic hoſtes cant;
Sic auferantur: me dapes lautæ manent.
Britan. Ergo alme genitor fratrem adoptari parum eſt,
Niſi præferatur? noſcere novercam parum eſt,
Niſi dominetur? ſcilicet veſtis mihi
Prætexta, at illi jam Triumphalis datur.
Ergo Imperator ille, te natus puer?
Cuſtodiendam das ovem paſtor lupo;
Imò laniandam: potiùs, ô potiùs pater,
Pater miſericors more me pecudum immola.

En

En colla, jugulum, pectus extendo lubens.
Optanda mors est, quâ manu cupias, mori.
Claud. Spes magna Patris, specimen egregiæ indolis,
Nihil nimis confide, nil nimiùm time.
Sit impudicum; impune conjugium mihi *Suet.Cl.c.43.*
Non erit: ἔρως δ' ἐπόνγεται specta puer.
Age cresce, cresce, macte virtute inclytâ,
Verum ut Quirites Cæsarem tandem sciant.
Duram novercam patere, dominantem time.
Mihi Dii dedere, conjugum ut primo feram
Flagitia, deinde puniam. Concors bibes
A fratre Nectar; toxicum discors bibes.
Certate melior, non uter major regat.
Utrumque vobis offero sancti Patres:
Diligite, amate, colite Cæsareum genus.
Filum amputare Parca non parcit meum.
Vitell. Parcat precamur: Claudium norint avum
Seri nepotes, lenta mors veniat seni. *Exeunt omnes præter Agrip. & Pallanta.*

ACT. 1. SCE. 4.
Agrippina. Pallas.

Agrip. Dilecte Palla, electe præ reliquis amor,
Miseræ feroces conjugi audisti minas?
Quisquamne regum tutus expectet minas?
Quin potiùs illas occupet? potiùs scelus,
Si sit necesse, quàm feras, facias lubens.
Cavete tumidas providi Regis minas:
Armant, & acuunt, & viam claudunt sibi.
Nam qui malum minatur, ut caveam monet.
Scelus antevertam scelere: nam sceleri salus
Scelus est: prematur, ne minùs cautam premat.
Pallas. Augusta, potiùs flecte parendo virum.
Agrip. Cui liceat imperare, parendum mones?
Pal. Es Imperatrix. *Agr.* Claudii arbitrio. *Pal.* Imperas

Et

Et illi. *Agrip.* Ad instans patitur illudi leo;
Mox laniat: ungues timeo: non audis minas?
Pall. Obsequia flectunt, non minæ frangunt minas.
Agr. Timidæ obsequantur: quod minor, faciam scelus.
Pallas. Scelus ipsa dicis? *Agrip.* Fateor, & magnum scelus.
Pallas. Perimes maritum? *Agrip.* Nempe ne perimat, perit.
Pallas. Perit Imperator? *Agrip.* Nempe, ut imperio fruar.
Pallas. Quæ spes? *Agrip.* Quid hæres? fœmina irata, & potens.
Hic esse crede fulgur & fulmen Jovis.
Ira & potestas, fulgur & fulmen Jovis:
Et utroque magis fœmina. *Pall.* Potestas tibi
Est in Neronem? *Agrip.* Nempe quam dederat Nero.
Burrhus cohortes, Seneca concilium regit.
Pallas. Virtute utrumque nobilem, sceleri advocas?
Agrip. Sed uterque, cujus creverit studio, memor,
Adjunget alter milites, alter Patres.
Pall. Pretio merendi milites, pretio Patres.
Agrip. Subsidia regno pretia quæsivi, & dabo.
Pallas. Sed quis Neronem? *Agip.* Cæsarem cedant mihi.
Pall. Quo genere mortis? *Agrip.* Toxico. *Pall.* Lento, an cito?
Agrip. Præcipite facinus proditur, lento dolus.
Inde odia nobis, hinc amor nati redit.
Quod turbet animum, differat mortem volo.
Pall. Quænam artifex? *Agrip.* Locusta, jam sceleris rea.
Pall. Et quis minister? *Agrip.* Ipse Ganymedes spado
Halotus. *Pal.* Hæc quò? *Agrip.* Natus ut regnet meus.
Pallas. Id Dii secundent. *Agrip.* Quid velint superi, scies.

Agerinus ecce nunc ab auguribus redit. *Intervenit*
Quid augur? ede: quid taces? regnat meus? *Agerinus.*
Agerinus. Tacere liceat. *Agrip.* Loquere, regnabit Nero?
Agerinus. Regnabit; at si regnet, in matrem ruet.
Agrip. Ruatque cœlum; quid meâ? regnet modò.
Palla, hinc eamus: causa non patitur moras.

ACT. 1. *SCE.* 5.

Narcissus. Britannicus. Octavia.

Narcissus. O dura fata! quid miser primùm querar?
Te Cæsar, an te Roma, Medæ truei
Deservientes? te puer, an & te soror
Duræ novercæ subditos? an me querar?
Fortuna lachrymas me mea perennes rogat.
Mihi, Messalinâ, sive Agrippinâ satus
Imperia teneat, certa pernicies adest.
Sed adsit, adsit: meritus es, Cæsar, tibi
Ut opes, honorem, spiritum impendam meum.
Hydram impudicam capite mulctavi; tamen
Novum reciso capite succrevit caput;
Nec unum in uno: sola nec restat capra,
Sed & est Chimæra, fronte leo, caudâ draco.
Seges laborum crescit assiduè nova.
Nova monstra surgunt: aliud ex alio malum.
Perdidimus operam: nunc meas damno manus.
Nempe impudicam sustuli, insurgit fera,
Cui prostitutus è malis minimum pudor.
Mœchus in Atridem Tyndarim Ægisthus rapit:
Regnoque cedunt fas, fides, corpus, decus.
Adolesce Oresta, adolesce, maturum tibi
Ætatis adsit robur, inimicos fuges

Patris

Patris, homicidas vindices matris tuæ ;
Et nos in illis : dissipa nubes leves.
Sol sole toto conspicere tandem polo.
Quid te, quid homines, quid deos potiùs precer ?
Britan. Narcisse, vota timeo tam magna : immemor
Nostri videris, tanta qui tumidè rogas.
Orbi interemptâ matre, præsidio undique
Nudi, noverca subditi, fratri impares,
Patre destituti, regna meditamur ? satis,
Satis est superque vita ; vivamus licet.
Satis est superque vita : mors culpâ vacet.
Mori juvabit : magna spes regni excutit
Regno minores ; luce, spe, vitâ excutit.
Octav. O luce frater charior, speret licet
Quæ sperat anima : sola spes hæsit solo,
Cum terram & homines reliqua fugerunt bona.
Spem dat superstes vitæ & imperii pater.
Britan. Cum patre vita, cum patre imperium cadet.
Narcisse nosti, noster an vivat pater ?
Narciss. Vivit, sed æger. *Brit.* Ergo, si fas est, patrem
Visamus ægrum. *Narciss.* Sistite, noverca evolat.

Intrant Agrippina & Xenophon medicus.

Agrip. Perii ; vomenti virus ingestum effluet.
Malè properanti verba sunt iræ data.
Quid animæ refugis ? perge, dum fervent mamis:
Age perge, perge Augusta ; nisi pergis peris.
Remedia morbis ultimis quære ultima.
Facinora Xenophon conscius nostra adjuves.
Faveo vomenti Claudio ; vitam evomat.
Pinnam vomenti, sed venenatam ingere :
Venena supplent sæpe medicinæ locum.
Scelera periclum magna non parvum ferunt :
Pretium perfecta non minus tandem ferunt.
Aggredere, perage. Misera quid feci ? nefas *Exit Xenoph.*
Nati audierunt : audiant potiùs piam. *Agrip. videt Brit.*

O mundi & ocule, & anima, medicinæ Deus,
O nate Phœbo Archiatre, medicorum pater,
O patre magno non minor soboles Salus,
Dirigite medici doctam alexicaci manum,
Nequid doloris Claudium capiat meum,
Nequid doloris Claudius sapiat meus.
Sed ecce natum. O vera progenies patris,
Genetricis in quo forma, genitoris decus,
Quàm tua lacertis colla complecti juvat?
O dulce pignus, quàm juvat grata oscula
Libare, lachrymas in sinum lætas dare?
Narciss. O quantum inundat flente Agrippinâ malum?
Sed quid flet? altas nescit insidias amor
Novus novercæ: timeo vel amantem quoque.
Britan. O mater ægrum visere parentem licet?
Agrip. Quid matris ô spes vna non liceat tibi?
Sed imminuto jam salus morbo redit.
Britan. Lætor, magisque visere valentem placet.
Agrip. Et mihi placeret; medicus at turbas vetat,
Ut relevet altus corpus afflictum sopor.
Tempus sopori detur, accedet salus.
Officia, tempus nisi cavent, fructu carent.
Citò, si valentem, videris. Natos meos
Narcisse thalamis quo potes recrees joco. *Exeunt Narciss.*
Qualis lateribus clausus intextis equi *Britan. Octa.*
Trojani Ulysses, tela Laocoon furens
Cum torsit, imo pectore extimuit dolos:
Talis, cavernas natus ut petiit meas,
Qui mox peribit angue Laocoon tuo,
Ne male latentes proderet sonitus dolos,
Et portæ in ipso limine hærerem, horrui.
Nunc arce posita, clausa quum laxet Sinon
Expecto: & ecce signa dat Pallas bona. *Intrat Pallas.*
Pallas. Peracta fata: Claudius letho occubat.
Agrip. Expleta vota: Juliam læta occupant.

Pallas.

Pallas. Romæ Imperator, domitor Oceani Nero,
Britonum subactor, arbiter teriæ Nero,
Velut alta crebris pinus impulsa ictibus,
Gemuit supremùm, truncus exanimis jacet. (cinis.
Agrip. Nunc Troja tota est flamma, nunc Priamus
I nunc minare conjugi pœnam tuæ:
Ipotiùs, & nunc conjugi Stygiæ refer,
Referultionem nomine atriusque inditam.
Non ausa scelus, est passa; non passa, audeo:
Fortuna timidam afflixit, audientem extulit.
Nunc meus ad apicem surget imperii Nero.
Me natus, ex me Dominus, & per me Nero.
Celanda mors est Claudii, ut vivat Nero,
Augusta vivat, regnet Augusta & Nero.
Post multa me Sors sæcla Principibus dedit
Natam, sororem, conjugem, matrem unicam.

CHORUS I.
Tisiphone. *Sapphic.*

EN vocat cædes violenta cædem.
Flagitant manes queruli, inquieti,
Cæsus occisor cadat, expietur
Sanguine sanguis.
Nesciens peccas? malè nesciebas.
Negligens patras? malè negligebas.
Innocens non es: lue, qui nocebas
Nescius author.
At cecidisti meritò nocentem:
Judica; damna: tacis innocentem,
Non reum cædens: meritò at nocenti,
Cæderis ergò.
Hercules fidam Megaram peremit,
Sed furens: abest scelus à furore:
Herculem, an falsa, an furiosa conjux,
Deianira.

Vnda sic undam trahit, ignis ignem :
Sic scelus pensat scelus : urget iram
Ira : non justæ comes ultionis
Vltio justa.
At sinit justos aliquando cœlum
Cædi ab injustis : fateor : sed illos
Alteri vitæ assiduæ gehennæ
Destinat istos.
Sera, sed certa est pede Pœna claudo.
Vltor à tergo premit irrepressus.
Neminem fallit Nemesis ; nec ulli
Fallitur illa.

ACT. 2. SCE. 1.

Vmbra Claudii.

NUmquamne miseris segnis accedet dies ?
Nunquamne, ne de mortuis detur quies?
Parum est tyrannos vix Jove minores
moti,
Nisi puniantur ? adeo puniri parum est
Nisi sempiternus Sisypho immineat
Nisi devoretur indies crescens jecur ? (lapis ?
Nisi pœna fiat, qui velit pœnam pati ?
Nisi cui placerent inferi, superi accidant ?
Nempe inter umbras turba crudelis Patrum,
Equitumque flagris terga dilaniat mea,
Et sæva scelera mihi ministrorum imputat.
Cavete Reges ; vestra vos torquent mala ;
Sed & aliena vix minùs faciunt reos.

Ategener & uxor (proh dolor) quantos mihi
Ignes & angues perpeti intentant manu?
Has tamen & illas non leves pœnas amo.
Quisquamne credat? Claudius pœnas amat.
Repetere pœnas liceat, ô liceat priùs,
Quàm monstra vidêam tetra, Noctigenis tribus
Pejora, & ossa qui voret Stygio cane.
Hæc hæc nocentes, illa discruciant probos.
Nec ullum in Orco par Agrippinæ malum,
Simile Domitio: talis ubi regnet canis,
Talisque Erinnys, esse quin credam inferos?
Aut pejus aliquid inferis? nec dum sat est
Toxica dedisse Cæsari, pærvo, viro.
Sed ecce video, video, visumque horreo,
Imperia falsus non sua invadit Nero,
Verum Neronem dejicit: nec dum sat est
Epulæ parantur Atrei mensæ pares.
Redit ad venena natus in cædem Nero.
Sed cui parantur? ô manum retine impiam
Venefice, redeo Cæsar; arcebo nefas:
In ora vertam: fata sed verti negant:
O dira fata: nec scelus fati est: ego,
Ego te peremi nate qui fratrem dedi.
Fuge, fuge nate, scelere inundantem domum.
Vel per venena sequere, quà præiit pater.
Te te innocentem melior expectat locus.
Me lucis odium Styga revisendam monet.
Maleficus abeo jam pater, conjux, socer:
Mala passus abeo jam socer, conjux, pater.

ACT. 2. SCE. 2.

Procedit Nero comitatu splendido, habitu Imperatorio ad castra. Eques ex iis qui sequuntur unus inter procedendum sic loquitur.

Eques. Britannicus ubi est? Claudii proles ubi est?

Britannicus

Britannicus ubi est? nemo respondet? sequar
Illius frequentes: numerus excusat malos.
Oblata, nullo qui renitatur, sequar.

Nero in castra: sistunt in scena Equites Rom. quatuor.

Eques 1. Cives, quid agimus? rebus in gravibus leves,
Gravesque levibus, sceptra sic leviter damus?
Vitæ necisque sic potestatem damus?
Est imperator vita, vis, virtus suis:
Ex mente virtus, vis manu; vita undique.
Ex capitis habitu corporis pendet salus.
Deliberandum: magna res: civis reget
Cives, Nerones Nero novus, Patres puer?
Nunc nunc agendum est: facile surgentem impetum
Premere, mederi, haud facilè grassanti malo:
Voto obtinentur sceptra, retinentur metu.
Eques 2. Serò admonemur: taurus assuetus jugo
Serò stomachatur ferre, quod subiit, jugum.
Nunc melius agitur, Claudius quàm si regat
Iners, ineptus, subditus servis senex.
Eques 1. Suscipere molem publicæ poterit rei,
Vel ferre, lustra quatuor qui vix ferat?
Eques 4. Flore Aphricanus, flore Corvinus suo,
Augustus annos bis novem natus, minor
Pompejus anno, Consules bellum gerunt.
Virtus honores ferre, non ætas, solet.
Eques 3. Juveni temeritas, sed seni gravitas comes,
Eques 2. Sunt sæpe juvenes, mente, non mento senes.
Si sceptra barbæ danda, quin *regnat caper?*
Auspicia potius sceptra, quàm vires, tenent.
Consilia melius, quàm manus, bellum gerunt.
Seneca Senatum, milites Burrhus reget:
Et illum & illos mater opulenta & sagax?
Eques 3. Ergone inertes prælia magistri gerent?
Ergo imperabit fœmina superba & procax?

Sunt gravida scelere regna, quæ peperit scelus.
Meliusque Junius scêptra Syllanus geret
Vir adultus, insons, clarus, Augusti abnepos.
Eques 4. Pecus illa nostros aurea præibit greges?
Ille imperabit? sic Agrippina imperat?
Voluisse feret impune? sic notus Nero?
Cumulos Gygantes dum struunt, in se struunt.
Sed in Senatum Cæsar è castris redit.

ACT. 2. *SCE.* 3.

Nero è castris in Curiam. Senatores. L. Antistius Consul. Burrhus præfect. Pratorian. Seneca.

(*c.*33.*N.*

Nero. Postquàm inter homines desiit divus Nero *Suet.*
Morari, avitis Claudiis clarus Nero, *Tacit.an.*13.449.
Suis triumphis clarus, illorum inclytus, *Suet.c.*17.*C.*
Græcæ & Latinæ scriptor historiæ Nero, *Suet.c.*41.42.*C.*
Patriæ pater, curator annonæ Nero, *Suet.c.*18.*C.*
Sub quo regente triste nil, tuta omnia, *Tacit.ib.*
Providus (idacta vita sub Caio docet) *Suet.c.*38.*C.*
Sapiens (id ipsum nomen imperii probat) *Senec.in αποκ.*
Cæsar, Tiberius, Drusus, Augustus, Nero;
Pietatis ergò, Claudium, in cœlos patres *Dion.l.*60.
Unco trahamus, Divus ubi fungos edat, *in fine.*
Cibos deorum: funus Augustum apparo.
Nunc quia deorum gratiâ voto meo, *Tacit.ib.*
Virtute matris, militum assensu omnium,
Filius, & hæres Claudii, imperium gero,
Authoritatem postulo vestram, Patres,
Summam, auspicatam, liberam, unanimem, gravem.
Vnam esse Lunam, luceant stellæ licet,
Solum esse Solem, Luna licet orbem impleat,
Unum esse superis, inferis, mediis Jovem,
Unum esse Romæ, monstra nisi gignat, caput,
Pax, ordo, lex, vis, usus, utilitas jubent.
Ille unus ecce Jupiter, pastor, pater,

Adsum,

Adſum, juvando, Jupiter, amando pater,
Et alendo paſtor adſum, ut Auguſti pia *Xiphil. in ini. Ner.*
Subinde referam regna, licet impar feram.
Auguſtus, ecce denuò Auguſtus, redit.
Nec mihi juventus civicis armis furit *Tacit. ib.*
Imbuta, nec ſunt, quas alam, lites domi.
Nulla odia, nullæ injuriæ, nulla ultio.
Veſtra odia, veſtræ injuriæ, veſtra ultio
Mihi vindicanda: *mitis* in reliquos ero.
In me ſeverus: eſſe vos tales volo,
Qualis videbor; nec ero quam videor minor.
Talis ero vobis, mihi Deos quales velim:
Exempla vitæ recta quaſi leges dabo.
Documen a legum ſancta mihi vitam inſtruent.
Hominem meminero, non Deum, ſed nec feram,
Præeſſe hominibus, non feris, ſed nec Deis.
Non unus omnes arbiter cauſas agam;
Ne reus & actor, una cum capiat domus,
Paucos potentes, pauperes ſeſe ejulent.
Venale nihil eſt in domo noſtra: nihil,
Nihil impetrandum eſt ambitu, merito omnia.
Mea domus aliud, aliud eſt Romæ ſtatus.
Id cupio, non me, ſed mihi timeant mei.
Antiqua teneat, munia Senatus volo.
Italia lectos Conſules tota audiat,
Provinciæque pareant: illi Patres
Vocent: gerenda bella mandantur mihi.
Pace moderabor milites, bello inſtruam.
Sic Cæſar aſtrum, ſic fit Auguſtus Deus.
L. Antiſt. O nos ſubiſto principe beatos Patres!
Perpetua Deus hæc ſervet Æneadis bona.
Vivat Domitius, Claudius, Cæſar, Nero,
Auguſtus, Imperator, Invictus, Pius,
Plebis tribunus, Pontifex, Patriæ Pater:
Concinite, vivat. *Omn.* Vivat, ô vivat Nero. *Tubæ concin.*

L. Antistius. Jurandum in acta Cæsaris nostis, Patres.
Nero. Collega noli vel Patris Patriæ mihi
Induere nomen, quod mihi juventus neget:
Vel tute in acta nostra jurare: haud decet
Esse beneficiis imparem, officiis parem.
Tu Seneca juris verba jurandi doce.
Seneca. Tarpeie Stator, rector in cœlo soli, *Genu*
Romule Quirine, de solo cœli incola, *flectant*
Auguste Cæsar, hominum amor, superûm comes, *Senat.*
Audite falsos, vindices; testes pios. *Singuli Senat.*
Quæ Nero jubebit sancta, quæ faciet rata, *ævum aut ali-*
Facienda quævult ille, quæ non vult nefas. *quid simile tin-*
Nisi reputemus, Jupiter sic nos foràs *ctili et aqua re-*
Projiciat, ut nos jacimus hos lapides foràs: *facèa repletâ*
Tantóque jaciat gravius, ut gravius potest. *projiciat: tubis*
Bur. Quodnam excubantes milites *concinentibus.*
signum ferent? *Suet. c. 9. N. Tacit. ib.*
Nero. Signum excubantes OPTIMÆ MATRIS ferant.
Burrhus. Nunc huic tabellæ Cæsar apponas manum,
Quâ destinantur in crucem fures duo. *Suet. c. 10. N.*
Nero. Urgere noli Burrhe: nam membrûm mihi *Senec.*
Resecare videor, cum reseco civem mihi: *de clem.*
Nec ad secundum medicus accedo lubens. *l. 2. c. 1*
Seneca. Medicum severum intemperans æger facit.
Quicunque parcit improbis perdit probos.
Probi tenentur præmio, pœna improbi.
Impune facinus provocat crimen recens.
Aliena vitia si feres, facies tua,
Qui parcit omni ac nemini, est æquè ferus.
Nero. Qui citò libenter, qui nimis, iniquè jubet.
Nescire vellem literas. *Senec.* Vocem Patres
Audite, dignam tota quam Roma audiat.
Dignam innocente sæculo, dignam Deo.
Habeamus ergo gratias. *Nero.* Illas Patres. *Suet. c. 10. N.*

Habete

Habete cum meruero : nunc actum nihil,
Quin melius actum debeam, & melius velim.

Procedunt hinc legati Armenii ; inde Agrippina cum Pallante.

Sed ecce gressus inde Legati ferunt *Tac. Ann. 13. 450.*
Armenii; & inde mater Augusta advenit. *Xiphil in int. Ne.*
Seneca. Quin Imperator potius Augustæ obvius
Procede, ne sit fœminæ in solio locus. *Ne. de secu. de trib.*
Ne. Augusta mater, alius Armenios erit *exe. Ne. Scen. Se.*
Locus audiendi petere nunc ædes placet. *Burrh. cæ. præt.*
Agr. Mihi me relinque Cæsar, ubi visu sequar. *Ag. et Pal.*

ACT. 2. *SCE. 4.*

Agrippina. Pallas.

Discessit ? abiit ? itane ? discessit Nero ?
Abiit Domitius ? vix pri is matrem intuens,
Vix allocutus ? *alius Armenius erit*
Locus audiendi ? scilicet ne sit mihi
Locus in Senatu : scilicet, per quem tibi
Locus in Senatu, summus in terris locus.
Ingrate Domiti, merita sic pensas mea ?
Huc merita redeunt Julia infœlix tua ?
Ego sceptra scelere contuli magno tibi,
Majore sceptra scelere ut auferres mihi ?
Egone Neronem Claudii stravi loco,
Nero ut negaret, Claudius quem det locum ?
Nalo uxor ut sit charior MATRE OPTIMA ?
Fulmen trisulcum Jupiter justa manu
Conjice vel in me, vel meam prolem : ream
Feries utramvis, scelerisinfandi ream :
Meruimus ambo : fulmen & in ambos ruat :

Gravius in illum, graviùs utrinque impium.
Pallas. Augusta comibere mentis effrænæ impetum.
Agrip. Cohibere potero ? cadere de regno leve est ?
Leve regna dantem filio regno ejici
Immanitate filii matrem unici ?
Pallas. Regna retinebis in sinu potiùs ferens
Regni tyrannum, quàm ferox trajice furens.
Juveni restiste ; pullus indomitus furit.
Regi repugna ; fulmen intrepidum ferit.
Nonnulla juveni, Principi ignosce omnia.
Agrip. Nihil est relictum fraudis ; & nihil est satis.
Vix propiùs hæsit juncta Semiramis suo *Suet.c.28.*
Mater virilis filia vix dum viro ;
Ego quàm Neroni. Sed vetat dici pudor,
Quæ, ut sceptra gererem, passus est fieri pudor.
Nunc cum pudore sceptra perdidimus : nec est
Satis hoc Neroni, nec in Agrippinam satis.
Quin fiet Acte Juliæ ex famula nurus :
Liberta fiet (quid nurum dico ?) mihi
Æmula, nepotes mihi, mihi reges dabit.
Ergone cedent sceptra, quæ demens dedi,
Ancillæ in usum ? Claudius famulæ jacet ?
Adeone fœlix æmulæ, infœlix mihi ?
Priùs ignis undas, unda dabit ignes ; priùs
Tellus planetas proferet, plantas polus,
Quàm serviente Juliâ, serva imperet.
Pallas. Juvenem in Amoris castra cum ducit Venus,
Rapit varietas, si nova affulget Venus ;
Sequitur facietas, ipsa licet adsit Venus, *Tac.An.*13.45.
Et pœnitendæ Veneris ingratus dolor.
Ut in igne flamma superat, ex flamma vapor,
Tenebræ ex vapore, mœstus ex tenebris timor.
Irata vincet, læta languescet Venus.
Patiare dum se noverit, natum dabit ;
Dabit maritum conjugi, natum tibi.

Agrip.

Agrip. Quod licet id abigit, allicit quod non licet.
Aliena credo Cæsares fato appetunt,
Sua despicantur: face levi caleat licet,
Nisi hæret illic, post vagos ignes, ubi
Tandem acquiescet? quisve luxuriæ modus?
Pallas. Matris redibit filio constans amor.
Agrip. Nomen Parentis dulce, quod reliquis solet
Matribus amorem parere, parat odium mihi:
Forma, esca Veneris, cecidit ex partu mihi:
Matris verendum nomen exosam facit;
In plebe gratum nomen, in solio grave.
Matrem negat timere, quem cuncti timent.
Et summa merita pensat extremum scelus.
Pallas. Male suspicari siste, cum gemmas tibi,
Aliis cupitas, sponte detulerit prior,
Vestesque lectas principum dederit volens.
Qui capit amantem dona dant, qui dat probant.
Agrip. Mensura voti scilicet cunctis fui:
Fui imperatrix: misera quid dico, fui?
Quin esse potero? dona quid memoras mihi?
Mihi reddit aliqua, cui dedi summa omnia.
Pallas. Quæ tu dedisti tollere quærendo nequis:
Non reddidisse potuit infensus Nero.
Agrip. Donare potui: tollere an possim rogas?
Pallas. Fortuna vires fœminæ tantas negat.
Agrip. Labor, ira, pretium, gratia, ingenium, ferent.
Pallas. Time Imperantem. *Agrip.* Mihi patrem, fratrem, virum
Natumque, Ducibus nata, soror, uxor, parens?
Pal. Pare. *Agr.* Imperabo. *Pal.* Mater es. *Agr.* Cui sim vide.
Pal. Cede. *Agr.* Invalescam. *Pal.* Mulier es. *Agr.* Quæ sim puta.
Pal. Peribis. *Agr.* Ulta. *Pal.* Quò ruis? *Agr.* Natum traho.

Gravius in illum. graviùs utrinque impium.
Pallas. Augusta cohibe mentis effrænæ impetum.
Agrip. Cohibere potero ? cadere de regno leve est ?
Leve regna dantem filio regno ejici
Immanitate filii matrem unici ?
Pallas. Regna retinebis in sinu potiùs ferens
Regni tyrannum, quàm ferox trajice furens.
Juveni resiste ; pullus indomitus furit.
Regi repugna ; fulmen intrepidum ferit.
Nonnulla juveni, Principi ignosce omnia.
Agrip. Nihil est relictum fraudis ; & nihil est satis.
Vix propiùs hæsit juncta Semiramis suo *Suet. c.* 28.
Mater virilis filia vix dum viro ;
Ego quàm Neroni. Sed vetat dici pudor,
Quæ, ut sceptra gererem, passus est fieri pudor.
Nunc cum pudore sceptra perdidimus : nec est
Satis hoc Neroni, nec in Agrippinam satis.
Quin fiet Actæ Juliæ ex famula nurus :
Liberta fiet (quid nurum dico ?) mihi
Æmula, nepotes mihi, mihi reges dabit.
Ergone cedent sceptra, quæ demens dedi,
Ancillæ in usum ? Claudius famulæ jacet ?
Adeone fœlix æmulæ, infœlix mihi ?
Priùs ignis undas, unda dabit ignes ; priùs
Tellus planetas proferet, plantas polus,
Quàm serviente Juliâ, serva imperet.
Pallas. Juvenem in Amoris castra cum ducit Venus,
Rapit varietas, si nova affulget Venus ;
Sequitur facietas, ipsa licet adsit Venus, *Tac. An.* 13. 45.
Et pœnitendæ Veneris ingratus dolor.
Ut in igne flamma superat, ex flamma vapor,
Tenebræ ex vapore, mœstus ex tenebris timor.
Irata vincet, læta languescet Venus.
Patiare dum se noverit, natum dabit ;
Dabit maritum conjugi, natum tibi.

Agrip.

Agrip. Quod licet id abigit, allicit quod non licet.
Aliena credo Cæsares fato appetunt,
Sua despicantur: face levi caleat licet,
Nisi hæret illic, post vagos ignes, ubi
Tandem acquiescet? quisve luxuriæ modus?
Pallas. Matris redibit filio constans amor.
Agrip. Nomen Parentis dulce, quod reliquis solet
Matribus amorem parere, parat odium mihi:
Forma, esca Veneris, cecidit ex partu mihi:
Matris verendum nomen exosam facit;
In plebe gratum nomen, in solio grave.
Matrem negat timere, quem cuncti timent.
Et summa merita pensat extremum scelus.
Pallas. Male suspicari siste, cum gemmas tibi,
Aliis cupitas, sponte detulerit prior,
Vestesque lectas principum dederit volens.
Qui capit amantem dona dant, qui dat probant.
Agrip. Mensura voti scilicet cunctis fui:
Fui imperatrix: misera quid dico, fui?
Quin esse potero? dona quid memoras mihi?
Mihi reddit aliqua, cui dedi summa omnia.
Pallas. Quæ tu dedisti tollere quærendo nequis:
Non reddidisse potuit infensus Nero.
Agrip. Donare potui: tollere an possim rogas?
Pallas. Fortuna vires fœminæ tantas negat.
Agrip. Labor, ira, pretium, gratia, ingenium, ferent.
Pallas. Time Imperantem. *Agrip.* Mihi patrem, fratrem, virum
Natumque, Ducibus nata, soror, uxor, parens?
Pal. Pare. *Agr.* Imperabo. *Pal.* Mater es. *Agr.* Cui sim vide.
Pal. Cede. *Agr.* Invalescam. *Pal.* Mulier es. *Agr.* Quæ sim puta.
Pal. Peribis. *Agr.* Ulta. *Pal.* Quò ruis? *Agr.* Natum traho.

Pallas. Dolor obtegatur, si cupit r edimi dolore:
Ridetur ira quæ patet, lædit latens.
Sed ecce prodit arbiter nobis Nero. *Secedunt.*

ACTVS SECVNDVS.

SCENA QVINTA.

Nero. Burrhus. Seneca. Agrippina. Pallas.

Nero. Proh sancta pietas: sic voluptates mihi
Invidet honestas mater, indulgens sibi
Minùs ferendas? sic facit nihili mea
Obsequia? merita sic facit tanti sua?
Et habet, & optat? fruitur, & queritur tamen?
Nisi summa nihil est? sola nisi regnat, furit?
Ergóne semper matris arbitrio puer
Subjiciar? orbis arbiter, matrem audiam?
Burrhus. Matris superbæ Cæsar insidias cave.
Quæ semper atrox, nunc struit fallax dolos.
Seneca. Est amputanda pompa, minuendus tumor.
Matris ministros plecte, si matre abstines.
Fas est in illos quicquid in matrem est nefas.
Nero. Consilia recta quæ datis, rectè exequar.
Et ecce tempus dat statim posse exequi.

Se ad matrem convertit.

Verenda mater, gentis Augustæ decus,
Quid ora nati, quid greges procerum fugis?
Quicquamne regno dulcius, nato arctius?

Augusta

Augusta regnum deseris, natum parens?
Quid aucuparis sola? quid tacitè struis?
Agrip. Severa nimium, mi Nero, nimium fui
Severa mater, temporis ineptè insciа.
Nunc mea voluptas, si voluptatum admovet
Stimulos juventus, en sinus noster patet,
Hinc Nectar hauri: si facultatum aggerit
Diadema cumulos, en patent loculi mei;
Hinc opibus hauri vel tuis nostras pares.
Me, mea, meorum cuncta commendo tibi.
Nero. Quid ergo famulos sequeris, Augustum fugis?
Matremne cepit tædium natisui?
Agrip. Natum immò cepit tædium matris suæ.
Nero. Suspecta, solus quæ facit, reges habent.
Agrip. In hoste levis, in matre suspicio hæc nefas.
Nero. Incerta qui non metuit, incautus cadit.
Agrip. Incerta quisquis metuit, is metuit nimis.
Nero. Nimis esse timidus malo, quam tutus parum.
Agrip. Timere ille, quæ sunt tuta, vix tuta efficit.
Ner. Quæ me tuentur vix tibi tuta autumas.
Agrip. Quæ te tuentur, quin mihi tuta æstimem?
Nero. Qua te, tuosque, nec meos, nec me æstimas.
Agrip. Ego me, meosque? quin mei mecum tui?
Nero. Nec sunt, nec esse patiar: adeóque aspice:
Genium tuum Pallanta, delicias tuas,
Malè constitutum Claudio regni arbitrum *Tac. Annal.* 13
Demoveo rerum curâ, Agrippinæ ut vacet.
Pallas. Hoc nupta meruit Claudio mater tua?
Hoc tu Neroni Nero, gener, & hæres refers?
Sine repetundis ille perpetuas mihi
Esse rationes voluit imperio parus.
Nero. Tu quid meueris, ille quid tulerit, tace.
Mihi neuter obstat: hinc, ut ejures, abi.
Pallas Quæ culpa? *Nero.* Pallas. *Pall.* Qui nocens?
Nero. Quoniam innocens.

Pallas.

Pal. Quæ ratio? *Nero.* Jubeo. *Pal.* Judica. *Nero.* Sortem dedi.
Pallas. Duram. *Nero.* At ferendam. *Pallas.* Merita nil prosunt? *Nero.* Abi.
Pallas. Nil mater? *Nero.* Abeas. *Pallas.* Nil preces possunt? *Nero.* Abi.
Rapite molestum. *Agrip.* Quin merita saltem mea
Melius rependes. *Nero.* Nil moror. *Agri.* Saltem audies.
Nero. Non moveor. *Agrip.* Istas at preces. *Nero.* Nihil audio: *Rapitur Pallas à Burrho, & Seneca.*
Rapite. *Agrip.* Quid hoc est? audies nolens volens.
Audire quæ dispudeat. Agnoscis Nero
Augustam, & illam agnoscis iratam Nero?
Augusta obesse poterit, irata expetet.
Testor supremum, testor infernum Jovem,
Britannicus adhuc vivit, & vivat precor,
Adultus, hæres verus, & dignus Patris
Ditione, quam tu per meam fraudem tenes,
Adoptione non tuæ stirpi insitus.
Adoptionem væ tuam; fraudem meam.
Nec jam recuso, quin domus miseræ mala
Cuncta patefiant, nuptiæ in primis meæ,
Meum venenum, proh scelus, potiùs tuum.
Nam scelera tua sunt illa, quæ prosunt tibi.
Sed Diis mihique providis cautum bene,
Quòd mihi superstes ecce privignus viget.
Vero Neroni, Cæsari nato comes
In castra pergam, sceptra restituam sua.
Germanici me hinc filiam castra audiant;
Vilem inde Burrhum scilicet truncâ manu,
Senecamque linguâ falsa profitente exulem,
Tibi, sibi regimen generis humani ut petant.
Vos consecrati Claudii manes mei,
Fratresque cæsi fraude Syllani impiâ,
Et tot facinora per nefas summum irrita

Me vindicate, vos & humanum genus:
Vester Domitius carnifex, & crux mea
Sceleribus animam reddat, & corpus cruci. *Exit Agrip.*

ACT. 2. SCE. 6.
Nero. Pollio. Locusta.

Nero. Hos mulier animos? hos Agrippina impetus?
Hos mater æstus? poterit, audebit, volet
Obesse nobis? Nota Agrippinæ manus;
Mens nota matris; mulieris nota optio.
Velle æstus, animus posse, & audere impetus.
Cui cedet illa, quæ suum occidit virum?
Cui parcet illa, quæ genus pudet suum?
Ergone patiar Cæsar imprudens, iners,
Mihi minitari fœminam iratam, efferam?
Mala machinari mulierem astutam, impigram?
At mater illa; verba sunt istæ minæ.
Quid ferre potero, verba nisi patiens feram?
Quam ferre potero, nisi feram matrem meam?
Nec hanc, nec illa (spero) laturus diu.
Tonitrua terrent, non nocent: ventus quatit,
Non frangit: ecce mater ut tonitru furit,
Verba quasi ventus personant: neutrum ferit:
Spernendum utrumque: sed solet utrumque insequi
Procella, tonitru fulminat, ventus pluit:
Cavendum utrumque, ne sit alterutri locus.
Quæ spes nocendi? qui modus? vivit puer
Britannicus: non vivet, ut noceat mihi:
Hunc tolle matri, spem, modum tollis mali.
Puer est: virilis indoles pueros negat.
Puer est: facilius premitur imprudens puer.
Puer est: futurus Hector, & Vlyssis metus,
Meâ timendus mature, non annis suis.
Nihil ille meruit: illa sed meruit nimis.

Dedit

Dedit necandum, quando metuendum dedit.
Metuenda reges non ferunt, imo asserunt.
Matri cadis Britannice, mihi tibi innocens.
Pollio locustam, quam veneficii ream
Custodiendam tradidi imprudens tibi,
Huc affer. Illam fama nobilitat satis *Abit Pollio.*
Peritam, & usus noster expertam dedit.
Sed lenta nimium, nec satis valida admovet. *Intr. Locusta*
Britannico Locusta cum volui necem, *cum Pollio.*
Tu pro veneno perfida antidotum dabas.
Aluo exolutâ id ille transmisit statim. *Eam Nero verberat.*
Sic jussa peragis Cæsaris dicto audiens?
Locusta. Ignosce Cæsar, sceleris invidiam timens,
Infamiamque, tradidi justo minus.
Ner. Lex credo nobis Julia timenda est, tibi *Suet c.* 33.
Curanda fama? dum furens illam aspicis,
Defensiones dum paras, nectis moras
Securitati: nunc nisi venenum paras
Læthale, præsens, væ tibi: aut perde, aut peri.
Locusta. At ei minister cuncta qui gustat prius,
Si perit eâdem morte, patefiet scelus.
Nero. Minus haurienti minus obest. *Locust.* Par est malum.
Venena cita sunt quæ vel afflatu necant.
Nero. Propinet ergo fervidum, innocuum valens:
Britannicus aquam cum rogat, Stygiam bibat.
Locust. Quia Cæsar urges, nec vide; & cœlo petam
Venena, & imo Tartaro: hinc Hydræ petam
Toxica, cruorem Nessi, & Althææ facem,
Pythonis inde, Scorpii, Cancri mala.
Jungam Cicutæ Colchicum, Aconito Opium,
Fel viperinum aranearum, flammis aqueis.
Addam venenis verba quæ nocent magis.
Moriar, nisi ista qui bibit, moritur statim.
Nero. Hæc si facis Locusta, discipulos dabo,
Immunitatem,

Immunitatem, præmia merenti tibi.
Age in cubiculo decoquas virus meo;
Hœdo experire Pollio vires mali. *Abeunt Locust. & Pol.*

ACT. 2. SCE. 7.

Nero. Agrippina. Britannicus. Octavia. Otho.

Bene collocata retia; expecto feram.
Sed & ipsum, & ipso cerno quas odi magis.
Odium saluti cedat: at tutus venit
Illis comitibus tectus: totus venit.
Errare in illis nescit, ut dubitet fames.
Omnes pericrint non male: at pereat prior
Spes illa messis in malum crescens meum.
Vix odia reprimo: sed magis ut obsint, premam.
Augusta, Conjux, frater, ad lautas dapes
Venisse comites lætor, & studio pares.
Sed dum instruuntur mensæ, ut accedat melos, *Mensæ ap-*
Te frater, aliquod carmen ut pulchrè canas, *parantur*
Ut frater oro, ut Cæsar invito imperem. *ad convivium.*
Brit. Mœrore pressi lugeant, læti canant.
Nero. Cygnus subinde læta moriturus canit.
Brit. Mors liberat mœrore: moriturus canam.
Nero. At læta, nostrâ non tuâ causâ, canis.
Brit. Salutem ab ægro sanus optandam rogas?
Tu læta cantor melior, & melùs canes.
Nero. Quisquam imperanti contumax cantum negat?
Octav. Pare imperanti frater. *Brit.* Imperium audio?
Pareo: sed animo cumen aptetur meo.
Octav. Aptabo vocem particeps fratri meam.

Cantio Britannici, & Octaviæ.

Britan. *Proh dolor, patri genetrix perempta:*
Proh scelus, cæsus genitor noverca:

Proh

Proh pudor, Cæsar genitus, sed hæres
Cæsaris alter.
Octav. *Pertulit (sperno) graviora virtus:*
Afferet (spero) meliora tempus:
Multa ne spernat mala ferre, panca
Qui bona sperat.
Britan. *Cæde pertumbor patriâ: dolendum.*
Sede deturbor patriâ: ferendum.
Cedo ne cædar: patriâque cæde &
Sede cavendum.
Octav. *Sedibus summis propior ruina.*
Cladibus magnis peritura magna.
Claudium sortem referat, ferátque:
Claudia proles.
Brit. *O meam sortem mala congerentem;*
Me parum fortem mala conquerentem;
O meam mortem mala corrigentem
Quàm bene canto?
Nero. Hæcspes alenda? hanc indolem tutus feram?
Agrip. Puer miserias quàm canit miserè suas?
Nero. Miseranda certè cantio haud miseri fuit.
Sed enim beatas nunc dapes lætæ vocant.
Sedeamus, & tu pariter accumbas Otho, *Accumbunt.*
Amore, si quis alius, excellens meo.
Læta hauriantur pocula calenti mero.
Cererem coronet Bacchus, & Bacchum Ceres,
Et Venus utrumque: lætus hic abeat dies,
Festus Saluti, sceptra confirmans mea.
Vos mater, uxor, frater, exhilarent Ceres,
Bacchus Venusque: quis dolor vultum gravat?
Agrip. Cupio esse læta: læta cupientes luunt.
Nescio quid angat; quicquid est, angit scio.
Dolor est? timorve? dolor abeat: abeat timor.
Tu si vales Britannice, valebo magis.
Brit. Valeo, valere fata si miserum sinunt:

Et

Et geſtit, acſi liber è vinclis volet,
Neſcio quid animus: quicquid eſt, geſtit ſcio.
Octav. Fœlix ſit omen: ſed mihi pectus labat,
Genua vacillant, cor tremit, ſenſus ſtupet.
Nero. Res eſt profectò mira fœmineus timor.
Lætemur; hilares noſter invitat calix. *Tubæ concinunt.*
Brit. Mihi potionem tu puer, qualem ſoles,
Affer tepentem. Sed quid hoc? refugit manus.
Libata guſtu eſt potio: veneni nihil.
Præcalida nempe eſt: fervidæ affundas aquâ. *Cadit venenum*
Bene eſt, abunde eſt: vindicî libo Jovi. ah. *Hauſto Britan.*
Agr.p. Ah cecidit. *Octav.* Heu me! cecidit. *Agrip.* Ah
periit. *Nero.* Quid hoc?
Cecidit? ſolebat nempe lethargum pati,
Et cecidit infans ſæpe: rediturus tamen
Senſim & ſubinde ſenſus: auferte interim:
Nec caſus hilares iſte conturbet dapes.
Agrip. Nata, ſimulandâ gaudia, tegendus dolor.
Octav. Didici tegere, gaudere non didici malo.
Quàm ſene miſerum eſt, de quibus nequeas queri?
Nero. Sic ſunt mulieres, ſi doles gaudent, dolent
Gaudere ſi vis; ſemper oppoſitum tenent.
Quin & gravatos video tibi vultus Otho.
Otho. Sit quæſo venia, Cæſar abeundi mihi?
Nero. An tibi ſalutis diſplicet feſtum meæ?
An dolet? an horret? an times? an me fugis?
Otho. Imo ad beati gaudia, & vota omnium,
Sydus decôris, inclytæ ſtirpis decus,
Ubi tres in una Gratiæ, & tota eſt Venus,
Propero; ſine illa vita vix vita eſt mihi.
Nero. Quænam illa tanti? *Otho.* Quam magis laudet,
magis
Qui nôrit illam; nec tamen laudet ſatis,
Quicunque norit laudibus plenam omnibus.
Nero. Quæ ſit refer. *Otho.* Poppæa, deliciæ meæ;

Meaſne

Measne dixi? dicerem cœli ac soli,
Hominum & Deorum; jure conjugii meas.
Nero. Miranda narras, quæque non faciunt fidem,
Nisi visa: quin me, nec mora, videndi subit
Lubido, num sit cæcus & mendax amor.
Otho. Amor est, fatebor; sed nec est mendax amor,
Nec cæcus: at enim (vereor) incautus fuit,
Qui fortiori tanta mea prodat bona.
Sed quid Neronem, quod meum, lateat meum?
Nero. Sapis: at morando gaudia moraris tua,
Et mea, videre qui volo, & validè volo. *Exc. Ner. & Otho.*

ACT. 2. *SCE.* 8.

Octavia. Agrippina.

Octa. Nunc fluite lachrymæ, nubibus ut imbres fluunt,
Et ut aqua inundat obice perrupto omnia.
Agrip. Nunc mite gemitus, aëre ut venti ruunt,
Et ut ignis urit cinere discusso obvia.
Octav. Phaëthonte cæso fiat electrum Helias:
Fugiente Cauno Byblis in fontem fluat.
Agrip. Memnone perempto roret aurora indies:
Polydoro adempto flens Hecuba fiat canis.
Octav. Tenella, matris, patris, & fratris necem
Video? & videre potero? nec morior videns?
Agrip. Matura, patruo, conjugi, nato luem
Pepen? dolet peperisse: nec pereo parens?
Octav. Moriar: nec ille sævus in fratrem meum
Mihi parcet: aut si parcet, ego parcam mihi.
Agr. Peribo: nec enim in fratre qui exemplum dedit,
In matre dubitet; si dubitet, insons erit.
Octav. Busiris aras extero, haud patriæ sacræ,
Nedum cruore polluit fratris sui.

Sed

Agrip. Cæde Diomedes pavit immanes equos,
Sed eâ virili cæde, puerilem horruit.
Octav. Ovana vota, nulla spes, fragilis salus;
Fratre perempto spes, salus, votum perit.
Agrip. O cassa studia, cœca mens, fallax fides:
Nato cadente mens, fides, studium cadit.
Octav. Male nata Roma, regna per fas & nefas
Sitiens, ab ortu cæde fraternâ mades.
Agrip. Roma malè crescens, propter imperium patres,
Fratres, nepotes, filios cæsos vides:
Octav. Tam sæva, tam sanguinea regnandi sitis.
Agrip. Tam vetera fratres odia regnantes gerunt.
Octav. Tu cernis ista Phœbe, nec condis diem?
Agrip. Hæc Rex Deorum pateris, & fulmen tenes?
Octav. Recede vita, morte devites mala.
Agrip. Elabere anima, scelera quæ propè sunt fuge.
Octav. Noverca, miseram ludis, an luges nurum?
Agrip. Sim me miserior, paria nisi patiar tibi:
Sed quæ miserior? *Octav.* Certet hoc uno nurus.
Agrip. Concedo certet, cedat at miseræ magis,
Cadit illa gravius, altiùs quæ fert gradum.
Majore de spe decidi, & doloo magis.
Spes summa in illo cecidit: hoc superest tamen,
Charius & illo, & charius vitâ mihi,
Odium Neronis; vixque participes fero
Multos in illo; te fero, at nec te parem.
Vindicta vita est altera: ulcisci volo.
Sed tibi propago Cæsarum, & patriæ deæ,
Tot bona precabor, quot mala Neroni meo,
Et mihi precabor: nec preces vanas feram:
Sed precibus artes, artibus vires erunt.
Tu vive digna Cæsare marito, elige
Virtute, amore, sanguine, imperio parem.
Minuet dolores tempus, aut virtus tuos.
Octav. Virtutis ægra, temporis sera est salus.

Agrip.

Agrip. Haud facilè virtus vincitur, tempus volat.
Octav. Volat in dolores, claudicat læta afferens.
Agrip. Animus iniquus tempus haud æquum putat,
Sed aderit, aderit; me vide: aut illum manus
Mea premet, aut me perimet illius manus:
Partes in illum, & partibus quæram duces.
Me nata sequere vindicem ærumnis tuis.

CHORUS 2.

Alecto. *Asclepiadæi.*

Regni sacra fames quid vetitum putat?
Quæ non sacra fero polluit impetu?
Quæ non jura malo provexit ambitu?
Dum scandit cumulat Pelion Alpibus;
Cum Diis Bella gerit more Gigantium;
Per fas præcipitans proruit, & nefas.
Cum ascendit, titubans culmine lubrico,
Summo prospiciens despicit infima:
Consortem impatiens destruit, obruit:
Quodcunque objicitur luminibus, premit:
Carpit, quæ propè sunt, summa papavera:
At sorbet fluvios Oceanus vorax.
Confossi Oedipodæ vulnere mutuo;
Nec fratrem patitur Romulus æmulum.
Grassantur pavili cæde Triumviri,
Dum sedes vacua est facta Duumviris.
Quantas Suspicio dira tragœdias,
Quantas inde fluens tecta Calumnia
Commovit, Dominis, & famulis nocent?
Suspectum dominis nil famuli ferant;
Suspectum domini ne segetem premant.
In culmo siquidem fletitur hæc seges.
Quicquid luxuriat, vinitor amputat.
Rex regni cupidos, vel bonus, opprimit.

Princeps,

Princeps, ſeu bonus eſt, ſeu malus, à Jove:
In pœnam malus eſt, in pretium bonus:
Patris dextra bonus, læva manus malus.
Ornes, ſi bonus eſt; ſin malus eſt, ſeras.
Curæ ſunt ſuperis, & bonus, & malus.
Nou ſert inſidias Jupiter in bonum;
Deſendit ſimilem; nec juvat in malum:
Nam non eſt hominum, ſed Jovis ultio.
Fœlix, fida, decens, rara Rebellio.
Tantis Proditio falſa periculis
Hinc illinc trepidans, & ſcatet, & patet:
Se prodit, properans prodere, proditor.

ACT. 3. SCE. 1.

Vmbra Britannici. Charon.

QUâ Cura, Luctus, Horror, & ſerus pudor,
Quâ Morbus author Funeris, frater Sopor,
Quâ triſte Funus per nefas ingens trahit,
Hâc, hâc ad atros Ditis incedo lacus.
Incedo facilè: porta Plutonis patet:
Via prona ducit: devorat avarum Chaos.
En ſtagna Lethes ſtupida: *lethargus ſiti,*
Cum cecidi; acerbo ſic Stygi Lethen joco
Miſces Tyranne, qui facis letho malo
Guſtare Lethen? quam tamen lætus magis
Guſtare malo, quàm tuas Domiti dapes.
Demit dolores illa, quos Domiti dabas.
Meæ memoriam cædis & ſceleris tui
Nec illa demet; quin Deas Erebi precer,

Erebumque

Erebumque totum (si preces flectunt deas,
Si punit Erebus scelera,) tibi pœnas pares
Remetiantur; quæ tamen pœnæ pares?
Saltem imperanti prodromus, in uno omnia,
Urnam Danaïdum, Syſiphi ſaxum, rotam
Lapithæ ſuperbi, Tantali poma, alitem
Tityi parabo, & ſi quod his majus malum.
Sed quid moramur? heus Charon. *Charon.* Quis me vocat?
Vmbra. Non vilis umbra. *Charon.* Qui'n pares umbras puto.
Vmbra. Britannici umbra. *Charon.* Claudio agnoſco ſatum,
Cæſum à Domitio: quid petis? *Vmb.* Stygium volo
Tranare flumen, viſere beatos ſinus.
Char. Vehere cârinâ corpus inhumatum nefas.
Vmb. Quin vidit eadem quæ necem nox, & rogum:
Nox ne videret Phœbus & fugeret ſeclus;
Eadem, tegeret ne mihi vita interim.
Quin pluvius æër, quam Nero non flet, necem
Fuſo imbre flevit; quod tegit gypſo ſcelus,
Retexit imbre, quin ferè extinxit rogum.
Hinc tumuit, illinc tremuit, hinc tonuit, ſed hinc
Gemuit, & unda, & ignis, & cœlum, & ſolum.
Clamare læſos crederes cœlo Deos,
Aut ſi tacerent, ſceleris horrore impii,
Stupere, gemitus edere ſonoros tamen.
Si lingua tonitru emittit irati Jovis,
Si fulgur oculus ſpargit, & fulmen manus,
Lingua, manus, oculus docuit iratum Jovem.
Nec una in una nox fuit, ſtellæ cadunt,
Luna retrocedit, lux fugit, cœlum perit.
Nihil videre, niſi ſcelus, poterant; tamen
Videre cupiunt vel quod horreſcant ſcelus.
Ululare manes audiunt, mundum putant

Centro

Centro revelli, vel novum affundi Chaos.
Rogus cadaver bis, ter impositum sibi
Bis, ter moratus transilit : tandem gemens
Absumit, atro lachrymas fumo tegens,
Trahensque : cunctos monstra moverunt ; Nero
Immotus urget, terret infensos Deos.
Scelus, & sepulchrum sceleris, hinc cernis Charon.
Charon. Odisse fratres mutuò, non est novum :
Et sceptra socium nolle, jam notum nimis.
Sed sua sceleſtos fraus premet : tu quò petis ?
Vmb. Sedes beatas peto pius & insons puer.
Char. Sedes beatæ non manent stupri reos ; *Tac. Ann.*
Matura te mors sustulit, stupro prius *l.* 13.
Pollutum ab illo, quàm venenato malo.
Vmb. Puero innocenti (fateor) illusit mihi,
Culpa hæc Domitii, non mea. *Char.* Heus stuprum pares
Polluit utrosque, nec redit læsus pudor.
Vmb. At sæva me mors carpsit ad mensæ sacra,
Cum nec sorori spatium ad amplexus datur,
Ante hostis ora ; quodque vel populo datur,
Laus nulla, pompa nulla in exequiis meis.
An ille sævus, an miser ego sum magis ?
Nil me nuisse, sævius & illo nihil.
Cha. Quid parva magnis aggravas ? sceleris gradus,
Non finis hic est : hactenus factum scelus,
Si nota quæ futura, pietatem voces.
Votum est in istis : indies crescit nefas.
Quin qui fuerunt, quique erunt summe pii.
Romæque domini Cæsares, nunquam impii
Quinquennii Neronis exequent pii ; *Traian. Aur. Vict.*
Quo tu occidisti frater, & fratris dolo. *Bap. Egn.* N.
Fœlix futuras occidens clades fugis.
Sed ista melius infero dices foro.
Vmb. Dicam, & precabor, scelere cumuletur scelus,
Fas omne pereat, jura vel matris cadant,

Cecidere

Cecidere fratris: faciat exosus Nero
Exosa hominibus, inferis, superis, sibi.

ACT. 3. *SCE.* 2.

Nero. Poppæa.

Nero. Poppæa, pompa amoris, animorum Dea,
Jubar oculorum, cœlicum terræ decus,
Quæ luce solem, voce Pieridas refers,
Quæ laude laudes omnium vincis tuâ,
Divinitate fœminas, formâ Deas;
Amore digna Cæsaris, lecto Jovis,
Mirabar illa, fama quæ de te tulit,
(O parca fama) te magis miror videns,
(Nam mira video) quin amo, & redames precor.
Quid conticescis? Cæsar amo; redames precor.
Pop. Quia conticescit gravis amor, loquitur levis.
Loqui lubet, pudetque: vis cogit loqui,
Ingens, & ingens prohibet: ægrè audet pudor;
Amor urget acre: sed pudor deceat magis;
Magis amor instat: quid loqui junctum potest?
Divisus animus? quàm malè cohæret pudor
Silens, modestus, & amor accensus, furens?
Quid tego ruinas? vincor, heu vincor tuo
Decore capta Phœbe terestris Nero. *Tacit. An.* 13.
Quæ Phœbe in oculis aspicit amorem tuis,
Nec amat? Amorem gustat in labris tuis,
Nec amat? Amores audit in lingua tua,
Nec amat? fatebor, ebria in amores tuo.
Suscipe ruentem: sit comes Eroti Anteros.
Sine comite miser, mutuus fœlix amor.
Sed vereor, heu me, vereor, ut mos est viris,
Simulas amare, non amas; victam cupis,
Victam tueri spernis: egregiam refers
Laudem, ampla spolia, victa si mulier dolo

Divum

Divûm duorum, Cæsaris, Amoris eadat.
Sed si (quod absit) non ames, miseram magis,
Qui facere poteras, quàm facere amantem tui?
Me Nero trucides mitiùs, quam non ames.
Nero. Deos Deasque testor, & supra Deos
Deasque nomen testor, & numen tuum,
Poppæa, regno charius & animâ mihi,
Poppææ amorem mente dominari meâ.
Tua testor odia, testor & amorem tuum,
(Nil gravius illis, gratius & isto nihil,)
Tuo ex amore vivere, ex odiis mori.
Pop. Amare credam? credo: nempe Acten amas: *Tac. ib.*
Ancilla pellex pellicit amores tuos:
Devinctus illi assuescis: ex illâ timen,
Dum serva, dum liberta, quid pulchrum, nisi
Servile, vile, sordidum, abjectum trahis?
Famulæ reliquias vilis, illustris feram?
Nero. Effulsit Acte fateor, ut fulget Venus:
Sed tu Diana cum micas, Acte cadit,
Gremio Diana cui sedet, vultu Venus.
Nocte illa fulsit, lux tua apportet diem.
Nox abeat illa, maneat hæc semper dies.
Si nunc aberrem, nox maneat, abeat dies.
Te nescicns qui peccat, in te quid facit?
Pop. At nuptâ Othôni leve jugûm (at dices jugûm) *Tac. ib.*
Abjicere cautam non decet, castam nefas.
Ille, ille vitâ lætus, & lautus cibo,
Homines beatos superat, exæquat deos;
Magnificus animo, splendidus cultu, potens
Opibus, sopori dat diem, noctem mero.
Ibi summa, sola, prima, suprema, omnia;
Fortuna videor, verso fortunæ rotam:
Ibi fero primas, tu Nero secundas dabis?
Amas Othonem, & quod amat Otho primum rapis.
Nero. Ergo fruetur æmulus fœlix Otho,

Quid careo Cæsar? nolo rivalem Iovem;
Et minus Othonem: periit indicio suo,
Candaulis instar: cedat uxorem Gygi,
Cui nudat illam: at vivat Otho charus comès:
Nec charus ille, nec comes, quoniam æmulus.
At vivat: at ne vendicet amores meos,
Hinc Lusitanos abeat ut fines regat:
Abeatque ne sit mœchus uxoris suæ. *Suet. Oth. c. 3.*
Num magis Othone Cæsar amo, valeo minus?
Dabit Otho quicquam, plura quin Cæsar dabit?
Si Diva Othoni, Cæsari fies Dea.
Vrbem, Orbem, Othonem, Cæsarem, quid non reges?
Tibi thura, vota, Cæsar, Vrbs, Orbis ferent.
Poppæa. At soror & uxor (Iupiter) Iuno tua.
(Hæ nisi Deorum nuptiæ, incestæ forent)
Morosо, inepto, inerte Saturno rata,
(Nisi pater, & rex, pulsus & stultus foret)
Nata impudicâ num Rheâ dicam; an lupa?
(Fert prostitutam nobile lupanar lupam)
Illa, illa Iuno zelotypa, sterilis, procax,
(Paritura pulchrum credo Vulcanum brevi)
Feret illa Semelem sibi parem Iuno? Iovem
Feret alienum, quin venenatam paret
Aut mihi Creusæ, aut Herculis pallam tibi?
Cui parcet uxor læsa, quin lædat magis?
Nero. Quid abominandum nomen obtrudis mihi
Vxoris animo semper exosæ meo?
Detestor illam, pejus aut angue aut cane.
Nihil illa poterit: me vide: audebit nihil.
Audere fac, fac posse, fac factum scelus,
Scelus id nocendo proderit: cœlum dabit
Si terram inhibeat: quin sibi cœlum negat,
Quæ tibi negabit: nil moror; cœlo cadet.
Poppæa. Id num magister Seneca, num Burrhus probet?
Nero. Id facere certum, seu probent, seu non probent.

Poppæa.

Poppæ. At Populus illam amore defendet suo.
Nero. Populus amori sic meo opponet suum?
Defendet illam qui sua tueri nequit?
Et illa, & ille, si quid audebunt, luent.
Poppæ. At nomen unum restat horrendum magis,
Augustæ, & illud matris Augustæ: nec est
Inane nomen: illa regit, illa imperat,
Illa dominatur: tu nec es liber Nero,
Nec Imperator: nomen es, non es Nero:
Pupillus es, non Ninus, at Ninipuer. *Tac. An. 14.*
Quin quæ puella fratris, & Lepidi stuprum,
Pallantis inde, & patrui incestos thoros
Admisit, imò petiit, imperium petens;
Nunc ut retineat, compta, lasciva, impudens,
Incesta se prostituit accenso tibi.
Quin gloriatur, quin suum evulgat scelus,
At plebs, Senatus, milites ægrè ferunt
Superbam, avaram, cædis, & stupri ream.
Quin Oedipo regnante Thebanam lucm,
Deos profano principi infensos timent.
Age nuncin ortus temet, in matrem redi,
Incesta in illa milites, cives, Deos.
Cui fas parentem implere, quid dicam nefas?
Sit amare pietas, sed sit horrendum nefas
Sic matrem amare; quæ tamen te non amat, *Tac. 14.*
Feretque nato non nisi infestam nurum.
Reddar ego Othoni: quin potiùs illuc eam,
Vbi nec Neronis nomen aut probra audiam:
Quin probra potiùs audiam, & pœnas probri,
Quam immixta videam, particeps pœnas feram.
Nero. Quid addis odiis odia? quid flammis faces?
Fateor, amavi, dum meruit, & rem meam
Amavit, auxit: nunc gravis, nimium gravis
Incumbit, urget: sed onus excutiam brevi.
Pompam imminutam jam vides; non ut solet *Ta. An. 13.*

Germanus illi servat excubitor domum.
Disjuncta domus est, ne salutantum greges
Illam frequentent: nemo solatur, petit
Nemo, nisi paucæ fœminæ, incertum tamen
Amore an ocio. Sin satis non est adhuc,
Cupio peremptam: quin tibi ut fiat satis,
Plebs, uxor, Acte, Burrhus, Otho, Seneca, & parens,
Et cuncta pereant.

ACT. 3. *SCE.* 3.

Paris histrio ingreditur: & paulo post Burrhus & Seneca & Anicetus, & alii.

Sed quid hoc? mœstus Paris
Ingreditur animo sæpè jucundus meo. *Tac.* 13.
An tragica nobis fabula paratur Pari?
Hecubamne recitas? an refers Helenam mihi?
Neutram habitus, illam vultus, hanc animus refert.
Quid est quod horres? quicquid est, effer Pari.
Par. Est tragica, at ut sit fabula optandum: nec est
Hecuba vel Helena, quæ sua queratur mala:
Sed est Agave, Althæa, Medæa, aut magis
Mala, si sit ulla, quæ suis quærat mala.
O monstra matrum: ô quæ feras vincant feras.
Nero. Odrysia Romæ mensa num struitur? quid est?
Par. Scelus paratur Thracio majus. *Nero.* Quid est?
Paris. Quod lingua refugit, animus horrescit.
Nero. Quid est?
Plus dubia torquent, brevia dubitantem levant.
Proloquere. *Par.* Mater. *Nero.* Quæ? quid? *Par.* Hen mater tua.
Nero. Quid illa? cæsum fortè flet frater? *Par.* Parum est.
Nero. Quid ergo? læsam Claudiam evulgat. *Par.* Parum est.

Nero.

Nero. Quid tandem ? avara eſt, arrogans, meretrix.
Paris. Parum eſt.
Audita, vetera non refrico. *Nero.* Majus quid eſt ?
Par. Illa, illa Plautum deſtinat thalamo ſuo
Tuoque ſolio. *Nero.* Quem mihi Plautum refers ?
Rubellumne ? *Paris.* Dicere rebellem potes.
Cui mater affert parilem ab Auguſto gradum.
Ner. Quis ſceleris index, ede. *Par.* Calviſio ſcelus.
Prodit ſocia Syllana, Calviſius ſtatim
Narrat Atimeto, narrat Atimetus mihi :
Ego conticere nolui infandum nefas.
Popp. Hæc mater ? hæc Auguſta ? ſic ornat ſuos ?
Sic amat ? an odit ? ô novercalem feram :
Ô fœminarum opprobrium, dirum ambitum.
Sic cuncta regno poſthabet ? natum quoque ?
Ad regna ſcandit per necem ? nati quoque ?
Quid expaveſcis mi Nero ? natum exue
Matrem exuenti : Cæſarem infenſum ſciat,
Quæ natum amantem neſcit : exemplum dedit ;
Sequere : periclum ſit ſequi ; audentem præi,
Mala cum minantur, qui ſapit, primus ferit.
Premere ſceleſtam per ſcelus non eſt ſcelus.
Nero. Monſtroſa mater, ſceptra tam miſerè ſitis ?
(Sitis illa miſeri Tantali vincat ſitim)
Leve credis illa ferre & auferre ut lubet ?
Sic me docebas ? ſic teneo ? ſic me tenes ?
Eſt ferre labor ; auferre ſit plus quàm labor.
Aſſequimur ægrè ? amittimus multò ægriùs.
Armant gerentem ſceptra, quærentem premunt.
Vis poſſe nimium ? non poteris id quod potes :
Perdiſque quod habes, quia petis quod non habes.
Sed heu, fidelem ſceptra quem præbent virum ?
Quis opem, quis operam, ſpondet aut præſtat mihi ?
Dare dubitanti Seneca conſilium ſoles :
Inferre merjùs Burrhe, ſupplicium ſoles :

Uterque matris impiæ audistis scelus :
Quid Seneca suades ? Burrhe, quin plectis ream ?
Senec. Quid imperanti suadeam ? non est locus
Consilio, ubi animo facta respondent magis.
Qui Consules, decerne : qui Cæsar, jube.
Nero. At lentus audit Burrhus, & taciturus negat.
Burrh. Nec nego, nec aio, nec quid incusem scio.
Nero. Sic surdus audis crimina, & nescis ream ?
Sic obstupescens scis ream, & pœnam negas ?
Bur. Si rea. *Ne.* Quid hoc est? si rea? hæc Burrhi fides?
Scilicet ab illa Præposite reddis vices.
At faciet alius. *Bur.* Quid fidem dubitas meam ?
Ner. Quia proditrici hda. *Bur.* Sic matrem vocas ?
Ner. Sic seipsa monstrat. *Bur.* Monstra narrantur: sed est
Defensionis cuique tribuendus locus ;
Matri magis : nec actor accusans adest :
Sed una vox unius inimicâ domo
Afferur ; illam (visa si fas est loqui)
Tenebræ refutant, nox vigil dapibus data.
Cuncta propiora temere securis : tamen
Si criminis convicta, promitto necem.
Objecta noscet, solvet, aut pœnas luet.
Ner. Agite, ite, egregias innocens causas agat.
At dum illa vivet, vivet ut moriens Nero. *Exeunt ad Agrippinam Seneca, Burrhus & cæteri præter Poppeam et Anicetum.*
Pop. An sic abibit? sic refrigescis Nero ?
Sic fluctuaris ? sic Agrippinam tenes ?
Causam aget egregia: scilicet nescit loqui.
Bona verba deesse pessimæ menti putas ?
Amare fingit maximè, qui odit magis.
Nec minuit animos crimen, accendit magis :
Nec absoluta gaudet, at dolet, & furit,
Suspecta quòd sit: si scelus contra moves,
Aut non movere præstat, aut totus move ;
Sed tectus : odia aperta vindictæ excidunt.
In ultionem incunabe : languentem impetum

Recollige:

Recollige: modum in ſcelere rem ſtultam puta,
Id ubireponas: niſi facis, damnum feres.
Nero. Incertus inter Cæſarem & natum hæreo.
Irata mens eſt Cæſari, nato pia.
Vindicta grata eſt Cæſari, nato ſalus.
Ira pietati cede: vindictæ ſalus
Moderare: natus, Cæſare expulſo, redi.
Poppæ. Quid Cæſar hæres? impio matri pius?
Privata pietas: ira regnantem decet.
Vindicta in illam tibi ſalus: illi ſalus
Tibi pœna: pietas peior eſt irâ; ultio
Salute potior: Cæſar, ut par eſt, rege.
Ne. Mea eſt. *Pop.* Sua imò. *Ne.* Mater. *Pop.* At mater mala.
Nero. Nocere matri vel malæ dirum nefas.
Pop. Fas erit in illam, quæ nefas nato ſtruit.
Ne. Sit. *Pop.* Imò ne ſit. *Ne.* Sit rea. *Pop.* Et ſceleris rea.
Ne. Quæ cura? *Pop.* Sceleri per ſcelera cura eſt brevis.
Ne. Gravis. *Pop.* Auferenda. *Ne.* Quo modo? *Pop.* Quo non modo?
Vi. *Nero.* Perge. *Pop.* Fraude. *Ne.* Perage. *Pop.* Vi, fraude. *Ne.* Hoc age.
Inſta. *Pop.* Veneno. *Ne.* Non placet. *Pop.* Ferro. *Ne.* Nec hoc.
Po. Quid ita? *Ne.* Veneno vix locus, ferro nefas.
Venenum in epulis nemo det ſorti, quia
Britannici jam morte vulgatum nimis.
Tentare famulos fœminæ intentæ arduum;
Quæ ſceleris uſu callet inſidiis fugam.
Quin ipſa ter tentata præſumpſit priùs *Suet. N. c. 34.*
Antidota. *Po.* Contra Cæſarem? hoc olim nefas. *C. c. 29.*
Ne. Nec eſſe ferrum poterit occultum: nec eſt
Tanto facinori, juſſa quin renuat mea,
Delectus aliquis. Heu mihi tantos metus

Quis minuet? operâ præmium dignum feret.
Anice. Oblata quamvis opera vix placeat satis,
Et consulenti consilia damnum ereent,
Quæ fraudem in ipsam Cæsaris matrem struant:
Cum tamen agatur tua salus, Cæsar, salus
Mea negligatur: offero & mentem & manum;
Manus exequetur, mens adinveniet dolum,
Quo nesciens tollatur, & certò, & citò.
Nero. Vincis Anicete, si facis, quod jam facis,
Me pædagogus dignus, & vindex meus.
Quo me beâris, effer interitus modum.
Anic. Navem in theatro vidimus mediis aquis
Per se solutam, belluas pugnæ feras
Evomere, & illam denuò emissis feris
Redintegratam: talis effingi potest,
Ut dissolutâ parte navigii affabrè, *Tac. Ann. 14.*
Huc evocatam matrem, & advectam mari,
Laxata subitò machina inopinam vomat,
Aut lapsa moles machinæ incautam premat.
Fortuita nullo, quàm mari, obveniunt loco.
Quàm navigare, nil magis sorti objacet:
Tam parva res distinguit à vita necem.
Quis igitur, illam si mare in præceps trahit,
Sic erit iniquus, tribuat ut sceleri, quod est
Ventis & undis crimini (si quod putent
Crimen) ferendum? Quin trucidatæ potes
Et templum, & aras addere, & quicquid pium
Probare poterit, ficta si pietas placet.
Ner. Placet Anicete: nec mora, effectum dabo. *Exe.*

ACT. 3. *SCE.* 4.

Agrippina. Burrhus. Seneca. Acerenia. Alii.

Burrh. Augusta crimen, teque qui faciant ream,
Exposui, utrumque dilue, aut letho lue.

Agrip.

Agrip. Syllana nempe ſterilis affectus pios
Neſcit parentum: non enim natos parens,
Ut ſcorta meretrix, mutat: exeſis bonis
Calviſius operam, deferens nomen meum,
Anui rependit ultimam, non optimam.
Mihi parricidæ an ergo ſubeunda eſt nota,
Notitia danda Cæſari? ô dirum nefas.
Odiis Domitiæ gravibus ſummas agam,
Mecum in Neronem (luctа ſi mecum placet)
Si amore certet, certet officiis meum.
Nunc concubino turpis Atimeto, & procax
Paride hiſtrione, fabulas ſcenæ parat.
At illa Baiis lauta piſcinas colit,
Adoptiones quando conſiliis meis,
Proconſulatus, Conſulis lecti decus,
Reliqua paratur, quæ meo imperium parent.
Nempe ut ſit aliquis (ſed quis eſt?) qui mé arguat,
Tentaſſe in urbe milites, laſam fidem
Provinciarum fraude minuiſſe, ad ſcelus
Traxiſſe ſervos, adde libertos dolo.
Britannico regnante regnaſſem utique;
Vivere negatur, dum Nero vivit meus?
Si Plautus, aut quis alius imperium ferat,
Mihi decrit actor ſcilicet, qui non mihi
Incauta verba, at crimina objiciat, quibus
Solvi parens delata, niſi naro, nequit.
Nec dubito ſolvar: nam ſcelus quantum forem,
Non abſoluta? nec nefas nullum puto,
Eſſe dubitatum de fide matris: ſed hoc
Nec ferre potero, nec pius Cæſar feret.
Sed ſi ferendum, quid querar? quid non querar?
De me querendum, digna quòd videar, Nero
Quam ſuſpicetur, mancipii peragant ream.
O turpe fatum, factum abhorrendum, impium.
Senec. Auguſta, multùm cauſa nos movit tua:

Magis in Neronem nos fides læsum movet.
Solare tu te, spiritus magnos doma:
Utinam innocentem solvere, audire ut licet,
Nobis liceret; quod licet, miseret tui.
Satis ista nobis; Cæsari hinc fiat satis.
Ag. Quàm misera, cujus miseret? ô quàm sum rea,
Quæ nequeo solvi à miseret? invidiæ fui.
Non solvor? at eram mortis & vitæ arbitra.
Heu quò cecidimus? Cæsar adeundus: placet.
Æquus parenti filius judex erit.
Videamus, an me qui vidit faciat ream.
Adeamus. *Bur.* Imò en obviam Cæsar venit. *Intrat Nero.*
Agrip. Arguer iniquè mi Nero, falsò arguor.
Augustam iniquè criminis scorta arguunt:
Matrem innocentem criminis falsò arguunt,
Quod crimen autem? læsa Majestas tua.
Imò instituta & aucta Majestas tua.
Quid multa? mater ipsa (nisi crimen putes
Matrem esse) crimen diluit, purgat ream.
In matre amorem crede, pietatem, fidem:
Nec meritus aliud, aliud à me cur times?
Timeas ab illis potiùs, & timeas mihi.
Me ausi petere, te matre sublata petent:
Ergóne dextrâ qui tenes fulmen Jovis,
Phœbi sagittas, probra scortorum, probra
Tantalidos in me, me tuam matrem, vides,
Et pateris? audis crimen, & credis nefas?
Ne. Nec credo mater, probra nec patiar tua.
Te deferentes, quicquid intuleris, ferent:
Syllana in oras exul amotas eat,
Calvisius exul, exul Atimetus: mihi
Paridem remitte: quin tuis, quicquid lubet,
Decerne honoris: nil nego quod tu velis.
Ferenda matris ira, placandus tumor,
Pietas colatur, ira ponatur, tumor

Exterm-

Exterminetur: amor odia, fraudem fides,
Gratia tumorem pellat: amplexus mihi
Da mater arctos: sic aduniri decet
Natum parenti, sic manum manui dare,
Sic labra labris figere: quid horres parens?
Agri. Timeo. *Ne.* Quid? an me? *Agri.* Mihi potiùs.
Ne. Et quid tibi?
Agri. Indigna ne sim tam bono nato parens.
Hæc tua nocentem, quæ innocens, pietas facit.
Nero. Id quàm te amârim si scias, dicas magis.
Quin nunquam amavi ut nunc amo: quid horres parens?
Agri. Quàm cupio verbis credere, & timeo tamen?
Quod cupio credo facilè, quod timeo, magis.
Nero. Semper perire qui timet, semper perit.
Qui credit auget, qui timet minuit fidem.
Nec cuncta temnas, cuncta nec timeas velim.
Agrip. Qui scit timere dubia, scit tutò ingredi.
Citius periclum non opinatum premit.
Premitur celeriùs nemo, quàm qui nil timet.
Calamitatis est segnes securitas.
Ne. Hîc tuta videas omnia, hîc dubium nihil.
Times timenda; quæ struis, metuis mala.
Conscia scelesti mens inhorrescit scelus.
Quin potius ego te timeo, quàm tu me times?
Agrip. Quia plus obesse poteris. *Ne.* At cupio minùs.
Agrip. Tu sceptra geris. *Ne.* At illa partiri placet.
Agrip. Cui? *Nero.* Tibi. *Agrip.* Iocaris. *Nero.* Seriò.
Agrip. Cur hoc? *Ne.* Lubet.
Agr. O spem mulierum credulam: an dixit satis?
Nolle simulandum: non feret Solcs duos
Cœlum, nec orbis Cæsares. *Ne.* Unum feret.
Cœlum, orbis unam Cæsaris matrem feret.
Petere libuerit! mox feres quicquid petes.
Petere recusas! at feres quod non petes.

Agrip.

Agrip. Me mitte, ſolus impera. *Nero.* Tu unà impera: Scis imperare: niſi comes mecum imperes, Nolo imperare. *Agrip.* Non deero ſi ſic placet. *Nero.* Mecum ergo ad epulas naviga inſtructas: diem Celebremus iſtum, mihi triumphalem. *Agrip.* Sequor. Hæc mihi tibique Jupiter ſervet bona.

ACT. 3. *SCE.* 5.

Nuncius puer. *Adonici.*

Omine fauſto,
Tempore feſto,
Pectore læto,
Ore repleto,
Læta canantur.
Nil niſi lætum
Læta requirunt.
Facta Neronis,
Fata parentis.
Non magis olim
Filia Nerei
Lauta maritum
Cepit, & altos
Æquore Divos
Nectare dulci
Ambroſiâque:
Quam Nero matrem
Et dape lautâ,
Fronteque lætâ,
Menteque gratâ;
Si bona mentis
Frons bene prodat;
Ni malè frontem
Mens mala perdat.

Gemma coruſcans,
Purpura fulgens,
Culta ſupellex,
Aurea veſtis,
Aurea vaſa,
Aurea cuncta,
Fœdera pacis.
Mater amoris.
Pignora nato
Oſcula figit.
Natus amantum
Fœdera matri
Oſcula firmat.
Dulcia figit,
Dulcior ipſa.
Grataque firmat
Gratior ipſe.
Ira procellas
Movit atroces:
Gratia nubes
Diſpulit atras.
Quàm malè celant
Nubila ſolem?
Quàm benè cedunt

Nubila

Nubila Soli?
Geſtiat orbis,
Litibus orbis:
Pax tenet urbes.
Pax data clauſo
Duplice Jano.
Quin licet ergo,
Quin decet imò
Vivere lætos
Cæſare lætos?
Quin liber ergo,
Quin juvat imò
Flore recenti,
More decenti
Cingere crines?
Feſta Minervæ
Nunc celebrantur:
Pallada doctam
Carmina laudent:
Pallada dulcem
Tibia ludat.
Hæc bona nobis
Protege Pallas.

Hîc terrent Furiæ.

Læta ſed eheu
Quis mihi terror
Pectora turbat?
Fallor? an umbras,
Si tamen umbras
Cerno furentes,
Horreo viſas?
Hæc mala nobis
Pelle Minerva.

Territus exit.

ACT. 3. SCE. 6.

Agrippina. Nero. Anicetus. Crepereius. Acerronia. alii.

Nero. Auguſta mater, dulcis ô mater mea,
Numen ſecundum Cæſaris, nati ſalus.
Quia vis abire (vis mihi hæc) mater vale.
Valeto mater, & meâ causâ vale:
Cura ſalutem tu tuam: causâ tuâ
Ego vivo, regno. Sed mihi mater priùs
Exoſculandam da manum dulcem; priùs
Figam labellis oſcula: ô quantum placent?
Et his ocellis oſcula: ô quàm me juvant?
Et his papillis oſculum: ô ſuave oſculum.
Divellor ægrè: explere non potero tuo
Aſpectu amorem: quin manes? cur me fugis?
Quia vis abire (vis mihi hæc) mater vale.

Ornata

Ornata navis te manet, scopulis tua
Illisa, fracta est, nostra te navis manet.
Anicetum itineris cape ducem, mater Vale.
Agrip. Valere toties qui jubes, Cæsar vale,
Valere semper dignus, in matrem pius
Si pergis esse: semper ut valeas precor.
Recidiva ne nos febris affligat, vide:
Ne nova procella obumbret hunc Solem, cave.
Tam magna tutam gratia, at timidam facit
Tam inusitata: firma sit: Cæsar vale. *Exeunt omnes præter Ne.* Vale supremùm: si id parũ, æternùm vale. *Neronẽ. Recidiva ne nos febris affligat*, peri.
Ne nova procella obumbret, hæc mersam obruat.
Impellat Eurum Zephyrus, & Boream Notus:
Zephyrum repellat Eurus, & Boreas Notum.
Ventum æstus, æstum ventus exagitet trucem.
Montes aquarum ad sydera elatam vehant:
Valles aquarum ad Tartara revectam trahant.
Undam unda superet, fluctus in fluctum ruat.
Mare fundat imbres, augeant imbres mare.
Mare turbo volvat, turbinem glomeret mare.
Ut maria cœli, maria quasi cœli intonent.
Ratim scopulus elidat, & scopulum ratis.
Vomat onerantem puppis, & pontus voret.
Pontumque puppis, pontus & puppim voret.
Sed cur refulgent astra? cur Luna emicat?
Astra invidetis? Luna inhorrescis scelus?
Quin fugitis astra? Luna quin condis caput?
Sol in nepotum nece retrocessit: necem
Fert Luna matris, nec fugit? facinus lubet
Detegere? sic est; aspicere facinus lubet.
Age, detegatur facinus: at fiat priùs.
Modo fiat, astra, Luna spectate ut lubet.
Nocte duplicatâ nunc opus: tenebras velim,
Color ut sit unus omnium, aut nullus color.

Sed

Sed luce fiat modò nefas, lucem fero.
Cur conticescunt turbines, undæ stupent?
Servatis illam? an crimen arguitis meum?
Malè audientes turbines, undæ invidæ.
Ut illa pereat, arguite crimen meum.
Agite, scelus convincite, at vincat scelus.
Eripite cœlum, effundite infestum mare:
Miscete terris Tartara, & cœlum mari.
Quid astra, Lunam, turbines, undas voco
Surda invocanti, sæva si nullas voces?
Anicete, tota & sola spes in te sita:
Si perdis illam, vivo; nisi perdis, cado.
Præoccupare scelus adhortatur salus:
Et male cohærent matris & nati salus.
Anicete me tuere, nec tardes opem.
Veni salutis nuncius, vindex metus,
Fœlicitatis author. Optatus venit. *Intrat Anicetus.*
Sed heu me anhelans, tristis, attonitus venit.
Anicete, an actum? *Ani.* Nec nihil, nec quod velim.
Ner. De me vel illa? *Anicet.* Neutro. *Ner.* At est
medium nihil.
Anic. At nunc. *Ne.* Quid at nunc? *Anic.* Nunc nec
est actum satis,
Nec nil. *Ner.* Quid actum? *Anic.* Si finas, dicam. *Ne.* Sino.
Anicet. Ut cepit illam, quæ vehat captam, ratis,
Tac. An. 14.
Vomatque vectam, nauta non nectit moras,
Portum relinquit jussus: & placidum mare,
Et aura amica, & astra se præbent duces.
Tenebræ, procellæ, turbines placeant magis.
Sed acta puppis cærulum sulcat salum:
Pulsata remis æmulis resonant freta:
Remi simul lentati, & adducti simul
Proram movent, auram juvant, dirimunt mare.
Hinc plena Baccho mater, auro, ostro cubat;

Sedet

Sedet ad cubantis Polla reclivis pedes.
Crepereius inde prope gubernantem stetit.
Polla recubanti memorat, & memorat lubens,
Offensionis & simulatis tuæ
Pœniteat ut te, gratiam amissam priùs.
Recuperatam matris, imò auctam magis.
Hæc dum illa memorat, fertur & in altum ratis,
Signum do: plumbo grave loci tectum ruit.
Crepereius onere pressus exanimis cadit:
Paries validior tecti Agrippinam tegit,
Pollamque: nec mox solvitur jussu ratis.
Omnes agunt; agenda non omnes sciunt:
Gravem scienti nescius affert moram.
Augusta vestes scindit, & lacerat comas,
Rigat ora fletu, voce conclamat deos;
Victa incitatis jam malis, irâ furens,
Mare cum videret, & nihil præter mare,
Cum nulla spes salutis, has voces dedit.
Pro dote tantâ præmia hæc reddis mihi?
Hâc puppe (fateor) digna, quæ peperi scelus,
Lucem, locumque Cæsaris demens dedi.
Acheronte vultus exere ô conjux tuos,
Satiare pœnis, si meas sitias, meis.
Ego miserande causa tibi sævæ necis:
Ego author, heu me, funeris nato tuo.
Ecce ecce manes ad tuos (merui) feror
Inhumata, & undis obruta profundi maris.

Nero. Cygnæa nempe cantio, ut placidè sonat?

Anic. Remigibus inde visum, ut in lævum latus
Inclinet, & mergatur inclinans ratis.
Nec promptus his ad subita consensus fuit;
Alique, contrà qui renitantur, levem
Dant jactum in undas fœminis: tandem ratis
Pressa resoluto robore dehiscit, mare
Sorbet, ululatus tollitur, planctus sonat

Fœmineus,

Fœmineus, oculos dira mors trepidos ferit.
Sibi quisque quærit lethi inundantis fugam.
Tabulæ ille nudus hæret, & fluctus secat:
Hic derelicta littora natando petit.
Multos profundo fata demergunt salo.
Perituræ Polla sese Agrippinam vocat,
Et subvenire Principis matri rogat.
Credimus, & illam, ut tela suppeditat locus,
Remis subigimus tradimus conto neci:
Augusta, dixit; reliqua mare morsque amputat.
Nero. Laudo, sed ipsam ut hauserit matrem mare
Audire lubet; hæc petitur à nobis fera.
Lybici leones non nisi in tauros ruunt.
Non aquila muscam, Cæsar Augustam petit.
Anicet. Augusta, in aliam quid sit admissum videns,
Nil dubitat, in se quin sit intextus dolus. *Intrant Burrh.*
Nec scio, dolore seu dolo potiùs tacet. *& Seneca.*
Tacita per umbras noctis in pelagus ruit:
Sed mox resurgit, pellit & palmis, metu
Cogente, fata, quæ mari & telo imminent.
Nec enatat quin læsa, quin cæsa est propè.
Nam remus humerum vulnere afflixit gravi:
Nec læsa sic est, quin reluctando enatet.
Nam morte spretâ mansit in multis fides,
Qui ferre dominæ viribus fractis opem
Audent & optant, manibus & tremulis levant:
Brachia trahentem lenta clamore excitant:
Dum rumpit undas pectore, occursu obvio
Lembunculorum vecta Lucrinum in lacum,
Tandemque villæ incolumis infertur suæ.
Nero. Evasit igitur? siccine? effugit fera?
Quid restat? aderit, aderit horrendum fremens
Tygris excitata telo aberranti, rotans
Oculos furentes, ore truculento minax:
Cui nihil avaram, nisi cruor, saturet famem:

Nec

Nec cruor hiantem, nisi meus, sedet sitim.
Videre videor, quin video, vultum trucem:
Perire videor, & pereo sævâ manu.
Testor supremos, infimos, medios Deos,
Aderit Erynnys propera vindictam ferens;
Ad arma, ad arma servitia cogit sua:
Ad arma, ad arma militem accendit suum.
Nunc fera Senatum, nunc ferox populum petit,
Cæsos amicos narrat, ostendit suum
Naufragium, & illud vulnus heu nimium leve.
Sed quæ mihi subsidia, nisi Seneca admones?
Nisi Burrhus experrectus auxilium admoves?
Quid statis? & ad hoc vos mea invitat salus.
Est animus aliud consulere? non est locus:
Nil audio aliud: consulere non est opus:
Opus ope & operâ quæ necem matri ferat.
Nisi prævenitur illa, perit illi Nero.
Tu Seneca Burrhum, Burrhe te Seneca aspicit,
An imperanda militi cædes rogat.

Bur. Prætorianos Cæsarum obstrictos domus,
Germanicique sanctitas memores tenet,
Ut nihil in ejus posteros atrox parent,
Promissa meliùs præstet Anicetus sua.

Anice. Præstabo: sceleris summa mandetur mihi:
Nihil morabor; cuncta quod sæcla horreant,
Sed nulla taceant, quod solum & cœlum tremant,
Quod erubescat author, Eumenides gemant,
Id fiet, a me fiet, & pro te nefas.

Ner. Nunc imperare incipio, nunc verè impero:
Hic sceptra firmat, hic dat imperium dies.
Libertus author muneris tanti mihi;
Libertus author funeris matri meæ.
Anicete properes, eligas comites tibi
Ad jussa promptos: perage mandata ocyùs.

Anic. Centurio classis, & trierarchus comes,

Paucique

Paucique nautæ sint in auxiliis, volo.
Ne. Aderunt: at hoc tu quod facis facias citò.

Exeunt Nero, Senec. Burrh.

Anicetus solus.

Anic. Anicete, nunc ut advoces artes opus,
Aut potius animos: advocat hoc animos opus.
Accingere animo, Caucasi rupes feras
Inhospitalis induc, & ferrum triplex.
Aures querelis obstrue, & menti metum
Exclude, & oculos claude pietati impiæ.
Impius habebor Cæsari, Augustæ pius.
Aude aliquid, aliquid est si cupias: age,
Age, quod ut omnes improbent, Cæsar probet.
Malo ordieris magna, perficies bono:
Scelerisque fructus, ut nihil credas scelus.
Scelus imperantis; si scelus: Cæsar jubet:
Obtemperandum: at filius Cæsar: vide:
At & ille matri, & mater est illi gravis:
Perge: at credibit gratia: at periit priùs;
Et pereat illa, gratiæ ut pereat locus.
At pœnitebit: sistet: resipiscet: cave:
Ne se jubente vindicet cæsam, time.
Timeo hoc, & illud; sive ago, seu non ago:
Metus est utrinque; & Cæsaris utrinque est metus;
Si perago, ne mox oderit: si non age,
Ne pereat, aut me perdat infidum sibi.
Oderit iniquè facta quæ fieri jubet:
Quin pollicetur præmium, nedum necem
Interminatur: bona ferens, referam mala?
Peribit ipse, nisi perit mater priùs:
Nisi perit ille, aut ille, me periment; scelus
Cœptum illa dicet, ille desertum arguet.
Quid ago? Neroni illæsa servetur fides.
At nulla in illam mihi fides, odium vetus:

Perge,

Perge, è duobus perde quam metuis magis.
Metus futuros imminens vincat metus.
Nunc nulla nobis via regrediendi patet:
Nunc nulla mora consilia capiendi nova:
Scelera sceleribus sint iter: periit pudor,
Periitque pietas: quâ jubet Cæsar, feror.
Quam rex jubet perire, qui servat perit.
Prius illa, & ille pereat: ego parcam mihi.

Intrant Herculeus trierarcha, Oloaritus centurio, & pauci nautæ.

Sed cum comitibus en trierarchus venit,
Quæ sint agenda nostris ô socii? *Hercul.* Nihil:
Sed agere, quicquid tu jubes, Cæsar jubet.
Anic. Et animus is est? *Herc.* Per Jovem. *Anic.* Et sic stat fides?
Oloar. Per Martem. *Anic.* Id agitis ergo! *Herc.* Per pelagi deos.
Anic. Et quicquid. *Oloar.* Et quodcunque. *Anic.* Si cædem imperat?
Oloar. Cædem patrabo. *Anic.* Si scelus? *Oloar.* Faciam sclus.
Anic. Quid si parentem. *Herc.* Quam? *Anic.* Suam. *Herc.* Quid si meam?
Jussus meam mactabo: quid si me jubet?
Mactabo vel me: nisi facio, faciet Nero
Ut fiat: at si facio, pensabit Nero.
Anic. Nihil metuitis? *Oloar.* Cæsare accepto nihil.
Anic. Ergo ibitis? *Oloar.* Pro Cæsare in tunnum Jovem.
Anic. Talcs ministros esse Cæsareos decet.
Bene est. Sed ecce lætus Agerinus venit. *Intrat Agerinus.*
Venit? quid affert? lætus? olfacio dolos.
Nempe enatasse naufragam Augustam refert.
Illa veteratrix, quo fere iuteriit, malum

Ne-

Nescire simulat: sola in insidias salus,
Nescire quod scis: calidè: at nec sic fugis.
Ego dum requiro, quid novi portet, ficam
Tectè aliquis illi projiciat inter pedes.
Hinc ordiemur criminis scenam novi.
Agerine lætus quid venis? & quem petis?
Ager. Libet esse lætum: quid tuâ? non te peto.
Anicet. Satis insolenter. *Agerinus.* Imò sic soleo.
Anic. Placet;
At convenire Cæsarem, credo, libet.
Ager. Et convenire Cæsarem, spero, licet.
Anic. Licebit, ego si, quid feras, scicro priùs.
Age. Narranda dominis, an priùs famuli sciant? *projici-*
Anic. A matre nempe invisis. *Ager.* Et visâ licet. *tur fica*
Anic At ille matrem inviset. *Ager.* At non est opus.
Anic. Est ægra. *Ager.* Non est. *Anic.* Vulnere laborat.
Ager. Nec hoc.
Anic. Naufraga. *Ager.* Nec illud. *Anic.* Ne nega.
Ager. Quid ni negem?
Anic. Imò aliud affers. *Ager.* Ut feram. *Anic.* Sed non feres.
Ager. Imò. *Anic.* Imò taceas perfide; teneris reus.
Ecce ecce socii in Cæsarem intentam ficam:
Hoc hoc ministro mater; (ô matrem piam)
Usura, nato & principi exitium struit.
Vos deprehenso astringite insidas manus:
Injicite vincla. *Ager.* Sic inauditus cadam?
Anic. Quid verba spectem, facta cum damnent reum?
Manifesta mens est & tua, & dominæ tuæ.
Vis convenire Cæsarem armatus sicâ.
Sica quid agebat? quid voluit ardor tuus?
Non nisi Neronem, & solus, & solum peti.
Quid plura quæro? rapite vos hunc in crucem.
Videmus hinc nos, sceleris infandi artifex
Illa, illa quid agat, callida quid ultrà paret,

An

An deprehensam pudeat, & quid si pudet,
Factura, duret vivere, an malit mori.

ACT. 3. SCE. 7.

Agrippina, in lecto vulnerata humero, cum una ancilla, & lucerna.

Ag. Agerinus annon rediit? an nondùm venit? *Ta. An.* 14.
Quàm misera res est, rebus in miseris, mora?
Is dum moratur, spes moritur; urget metus
Factum putare, quod potest fieri, metus.
Odia Neronis quid ferent? quid non ferent?
Non ita meruimus, tamen an injustè magis
Læsit, quia odit? an, quod injustum magis,
Quià læsit, odit? nè sit odisse impium,
Læsisse, magis: at odia sine fine, aut modo,
Sine fine scelus est, sine modo plusquàm scelus.
At scelus in usu est; in scelere mirum est modus.
Scelus est abyssus; fundus aut margo quis est?
Ergo est utrinque, Iulia, cavendum; scelus
Ne nescias, nec scire videaris tamen.
Nescire, quid agat, non potes: nescis tamen.
Est aliquid ultrà fortè: sed id ultrà quid est?
Nescio quid: aliquid: aliquid anne ultrà potest?
Potest; potensque faciet: ô faciat priùs,
Quàm suspicari potero: suspicio est tamen:
Quia nemo abillo; quin nec Agerinus quidem.
Quid ripa nunc deserta, quid strepitus volunt?
Quid solitudo? indicia supremi mali?
Ecce, ecce lumen illud, ut subitò occidit, *lucerna.*
Subitò refulsit: dii volunt sciri scelus,
Noluntque sciri: nescio quid, illos pudet. *Ancilla.*
Ancilla, at una, restat: abitura est & hæc: *Irrùpit Anic.*
Tu quoq; miseliã deseris? Sed quid sonat *cum suis.*

Ianua

Ianua refracta? quid rei? Augustæ fores
Num sic refringi fas fuit? num sic Nero
Iussit parentem visere? refotam satis
Renunciate; me gravi casu, Deûm
Benignitate, Cæsaris Genio auspice,
Salvam enatasse: non opus visat: magis
Opus est quiete.
Sed quid hoc? quorsum minax
Anicete terres? num patraturus nefas?
Non credo jussum à filio in matrem nefas.
Non imperavit filius, matrem ut neces.
Non jussus audes? Quid trierarchus mihi *Herculei fusti.*
Fuste minitatur? sic in Augustam decet?
Germanici sic filiam adoriri placet?
Stricto ense feries Centurio? ventrem feri: *Olearii ensis.*
Condatur ensis utero in hoc: hic est tibi
Fodiendus, hic est, tale qui monstrum tulit.
Sic, si cadendum est, cædite, decenter cadam. ah. *Occidi-*
tur, obductis velis.

ACT. 3. *SCE.* 8.

Nero solus.

Nero. Quam dubius hæret animus? hinc spes, hinc
metus:
Spes somniantis visio, gehenna est metus.
Dum fluctuatur animus ancipiti vice,
Nec vivo, nec sum mortuus; sed sum miser.
Miser ille, cui vacillat hinc spes, hinc metus.
Si falsa spes eludit, illudor miser.
Ut metuo miserè, ne metus vetus premat?
Ut pereo miserè, nisi prius mater perit?
Res, fateor, agitur magna: peragatur, precor.
Anicete, perge, perage: te præsta virum:
Me serva, & illam perde: nisi perdis, peris:

Perimus

Perimus ambo : tibi fides, regnum mihi
Periit : utrique pestis utriusque imminet.
Age, perge, perde, tunde, dilania, fodi,
Excinde matrem, Cæsarem ut verum probes.
A'νίκητε nomen, omen, invictum tene.
At illa pollens gratiâ nummis potens,
Timore cauta, tuta famulorum fide,
Olfaciet, antevertet, invertet dolos :
Invertet in me ; evertet & mecum omnia.
Annosa vulpes haud citò in laqueum cadet.
Imò hæc lerna, ut fugit insidias, struet.
Artem arte, vim vi, scelere superabit scelus.
Pentheus Agaven pellet à Bacchi sacris ?
Perimet Agave Penthea, ut Baccho sacrum.
Ferire, vel perire, sic una optio.
Prior Anicete tu feri, & penitùs feri.
Nisi feriatur, nisi pereat, atrox fera,
Nos feriet, ut perire sit nostra optio.
Ita ludit, aut elidit, hinc spes, hinc metus.
Acsi unda puppim nunc levet, sed nunc premat ;
Nunc salit in altum cor superbificum mihi ;
Nunc ponderosum mole subsidit gravi.
Malè habet utrinque : spe, metu, quàm re, magis.
Hic motus aliquid, spes aliud, aliud metus,
Actum esse dicunt : quid sit haud dicunt tamen.
Anicete spem tutare, rem præsta, metum
Discute : sed heu me, spes fugit, vincit metus.
Quod spero, credo : quod metuo, credo magis.
Metuenda magis, ut citiùs adventant, mala.
Ita implicantur, ita novis currunt gyris,
Tam magna dum sperantur, hinc spes, hinc metus.
Spes ab Aniceto, sed ab Agrippina metus.
Solus Anicetus sistere in tuto potest.
Et ecce rediit. Dic, an interii miser ? *Intrat Anicetus.*
An interemi ? *Anic.* Siccine necesse alterum ?

Nero.

Nero. Neceſſe. *Ani.* Non eſt igitur in dubio, magis
Optetur utrum. *Nero.* Non: ſed in dubio manens
Magis interire videor. *Ani.* An nulla eſt mora?
Ner. Mora nulla: mortem dicis, ubi dicis moram.
An. Quin dico mortem. *Ne.* Quid? meam? *An.* Superi verent.
Matrem peremptam dico. *Ner.* Num matrem meam?
Ani. Tuam. *Ner.* Peremptam? *Ani.* Et hac manu.
Ner. Laudo manum, Exoſculorque: ſed fide dicis tuâ?
Ani. Meâ. *Ner.* Quid? illam mortuam? an credam?
an cupis?
Ani. Tam crede, quàm te vivere, Anicetum loqui.
Ner. Cupio, nequeoq; credere, ita magnum eſt bonũ.
Nec tanta facile eſt credere: ſed effer modum.
Sed ſciſcitari de modo non eſt opus:
Modò conſtet actum: majus eſt ipſâ fide,
Potuiſſe perimi: non poteſt fieri ſatis,
Factum audiendo: nec ſatis fiet, niſi
Oculus, quod auris audiit, ſpectet lubens.
Oculus tuendo, tutus agat animus, facit.
Ire, intueri, ſi licet tutõ, libet.
Licetne? *Ani.* Quidni? *Ne.* Mortuam credis? *Ani.* Scio.
N. Vidiſtin'? *A.* Oculis hiſce. *N.* Et à manibus tuis?
An. Iſtis. *N.* At. *An.* At quid? *Ne.* Ne reviviſcat, metus.
Ani. Metus eſt inanis. *Ne.* Videris, ne ſim miſer:
Niſi illa periit. *An.* Me vide. *Ne.* At ſpirans adhuc
Si convaluerit. *An.* Ne time. *Ner.* Affirmas? eo:
Aut prodis, aut me perdis, aut prorſus beas.

CHORUS 3.

Megæra. *Anapæſtic.*

HOmini lupus eſt homo, non Deus eſt.
Vt homo eſt homini, fera nulla fera eſt.
Niſi quâ vivat, viſcera matri,
Nulla, aut exemplo, vipera rodat.

Nihil ingratum, nihil infidum,
Nihil infestum, nihil invisum,
Vt homo est homini, summa malorum.
Non malè saxo creditur artus,
Animo immiti qui saxa refert.
Anthropophagos, μισανθρώπους,
Et sanguibibas, & carnivoros
Homines atra ferrea vidit!
Magis an feritas ferrea fecit?
Homines Furiæ; nos Eumenides: εὐμενεῖς Orph. hymn. Eumenid.
Injusti homines, nos sinceræ:
Illi immeritos, nos promeritos,
Illi cruciant, nos punimus:
Alacres illi, nos mœrentes.
Quis Busiris, quis Diomedes,
Phalaris, Siculus, Thraxve tyrannus,
Imperat Orco? nullus in Orco,
Nisi punitus, qui cruciârat.
Nam manet illos par tormentum,
Qui tortores hominum immanes:
Idque per ævum plusquam humanum.

ACT.

ACT. 4. SCE. 1.

Vmbra Agrippinæ.

Quâ nulla meliùs cæsa (nam merito meo)
At nulla pejùs, (nam scelere nati mei)
Quâ nulla magis horrenda, vindictam fero.
Matres, sed ulti à matribus cæsos patres,
Et jussi, Orestes pius, & Alcmæon pius
Malè sustulere: uterq; sublatas luit
Insaniendo, vindices Furias tulit.
At monstra monstrum superat hoc longè omnia.
Tibi Nero trimulo, cecidit ex morbo pater: *Suet. N.*
At & ille partus tum meos, ortus tuos, *c. 6.*
Priùs execratus; posse nil nobis putans,
Nisi execrandum, & publico nasci malo.
At mihi maritus alter, at pro te, cadit;
Cadit veneno, quia tibi prodest, tuo.
Tu facta pro te vindicas? pro te nocens,
Non tibi; sed heu me, non nocens, plector tibi.
Cædere parentem (proh scelus) monstro libet:
Videre cæsam (proh pudor) mœcho vacat: *Dion.*
Ridere visam (proh nefas) scurram juvat. *Tac.*
Incestè parricida, sic natum decet? *Suet.*
Mea membra tractas, alia vituperas, probas *Suet.*
Alia, intuensque mox bibis obortâ siti. *c. 34.*
Quin bibe cruorem, quem sitis; matrem ebibe.
Habere matrem nempe *tam pulcram innocens* *Dion.*
Tu nesciebas: nempe tam pulcram nocens
Habere non vis: non habes: matrem exuit?

Oneri eſt, & odio, mater, & pulchra: ô ſcelus.
Oneri putatur gratia, in quæſtu ultio. *Dion.*
Impune tanta? tot ſcelera? nec dum furis?
Nec dum expaveſcis? imò nec ſentis adhuc
Dira Furiarum verbera, ardentes faces?
Sine metu adhuc eſt vita? ſine curâ quies?
Nec dum agitat animus tortor, ac terror tuus,
Ille ille teſtis pectore retruſus tuo?
Agitabit; & te ſenties pœnam tibi;
Te, gravius Eumenidibus, & Nemeſi malum.
Quin parricidæ culleus vivo domus?
Comites canis, ſimiola, gallus, vipera? *Cic. pro.*
Mare lectus? illum ſed nec abſumant feræ, *Roſc.*
Magis efferandæ: nec mare ſceleſtum abluat, *Amer.*
Ne polluatur: Terra, Sol, Cœlum, Mare,
Nata unde cuncta, cuncta deficiant eum,
Matrem, unde natus, qui bene merentem necet.
Mare fluctuantem, ſpiritus vivum abdicet:
Terra morientem, littus ejectum abnuat.
At vivit, heu me, vivit in majus nefas.
Age, matre cæsâ, quid nefas? quid non nefas?
Ego digna, fateor, ferre; at indignus Nero
Inferre matri: at quid meruit uxor pia,
Tibi abdicanda? niſi ſatis non ſit tibi
Illam abdicare: quin neci immeritæ dare
Illam immerentem deſtinas: num non pudet?
Poppæa ſuadet (nec pudet) ſcortum impudens:
Mihi machinata, nunc & uxori necem
Malè meditatur: ſibi tuos ſpondet thoros.
Nec illa, nec tu, nec Seneca tantum nefas
Tutò auferetis: adſum, & has tædas fero
Pronuba jugales: non potero forſan nurum
Servare ſanctam; potero vexare impiam.
Cremata, non humata, oberrabo undique.
Nec te, nec illam patiar immunes frui.

Mœrore

Mœrore noſtro: perge, tibi chara omnia
Tu perde: Burrhus & Seneca nimiam fidem
Meritò luant: te Roma, tu Romam oderis:
Odium ruinas & paret utrique, & ferat.
Dii (ſi quid hominum cura ſollicitat Deos)
Homines (hominibus ſiqua relligio in Deos)
Dis (ſi quid homines, aut Deos audis pios)
Rapite Neronem, rapite rapientem omnia,
Odium Deorum, Ditis onus, hominum luem.

ACT. 4. SCE. 2.

Poppæa extervita. Nero excitatus. Umbra Agrippinæ.

Poppæa. Quo fugitis? an me vos fugitis? an vos ego
Criſpine conjux, nate Criſpine, oſcula *Sen. Oct.*
Libate ut olim: non licet? prohibet Nero, *act. 4.*
Enſemque jugulo condit infenſus meo!
Servate, conjux, nate, ſervate: hoc licet;
Excipite comitem: vos vagas umbras vaga
Umbra comitabor. Sed ut Agrippinam ſequar
Fax urget illa, cogit & vultus minax.
Quò ducis? etiam ad Tartara trahentem ſequar.
Fax hæc jugalis? vultus hic thalamos decet? (nat?
Ner. Poppæa. *Pop.* Sed vox unde, quæ, quorſum ſe-
Ner. Sabina, thalamos cur reliquiſti meos?
Tu me relinquis ſola ſolamen meum?
Quò me fugis? quò te rapis? venio: mane.
Quis te excitavit metus? *Pop.* Agrippinæ furor:
Quis te excitavit furor? *Ner.* Agrippinæ metus.
Annon tubarum tibi pepulit aures ſonus, *Tacit.*
Emiſſus inde, matris ubi tumulus meæ? *Dion.*
Pop. Pepulit, tumultu bellicum magno canens.
Ner. Migremus aliò. *Pop.* Scilicet cervus fugis *Dion.*
Percuſſus: hæret vulnus, & arundo comes.
Ner. Mutanda ſedes. *Pop.* Non poteſt ſedes nova

Mutare mentem conſciam cædis tibi.
Ner. Mihi facta cædes: vix tamen credo mihi
Potuiſſe fieri: pœna docet actum; probat,
Cui teſtis oculus, animus: inſomnem traho
Noctem expaveſcens; trepidus opperior diem; *Tacit.*
Noctemque cupio de die, trepidum ut tegat.
Sic mihi timetur prodromus exitii dies.
Mare, littus, obverſatur aſpectu gravi:
Et planctus aures flebilis pulſat meas.
Pop. Matrumq; planctus ego Latinarũ audio. *Sen.*
Ner. Quis meque, teq; terror in ſomnis premit? *ib.*
An umbra, & error? *Pop.* Umbra, ſed qualis fuit
In ſcena Eriphyles, aut Clitemneſtræ. *Ner.* Faces
Mihi minitantes nonne Agrippinæ vides?
An video ſolus? *Pop.* Video minitantes mihi.
Ner. Tellus hiabat mihi. *Pop.* Mihi tellus hiat.
Ner. Videor cruentus. *Pop.* Et mihi cruentus ſinu
Enſem meo recondis. *Ner.* In melius libet (*Sen. ib.*
Interpretari: ſomnio Somnus levi,
Quos cogitabas de die, thalamos refert.
Thalamos perennes Inferi æterni docent.
Plangunt Latinæ, Octaviæ vidui thoros.
Regale reſonans ſpondet imperium tuba.
Clarum ominantur nomen accenſæ faces.
Nihil, niſi umbram, obſtare docet umbra obvia.
Ferrum ego recondam pace requieſcens ſinu
Tuo Sabina: hinc inferi, planctus, tuba,
Fax, umbra, ferrum, cuncta tibi ſpondent bona.
Pop. Sic Dii Deæq; facite, mihi cedant benè.
Ner. Promitto. *Umbr.* Domiti. *Ner.* Quis vocat? & unde eſt ſonus? *Suet. c. 46.*
Pop. Sonus è ſepulchro Cæſarum venit. *Umbr.* Nero.
Ner. Video ſepulchri ſponte patefactas fores:
Audio vocantem; & totus horreſco. *Umbra.* Nero.
Ner. Materna vox eſt: cur vocas? quò me cies?
Venio:

Venio: sed umbra evanuit. Quantum est malum,
Sine matre, nec cum matre tranquillo frui
Potuisse regno? At ante nec curas pati,
Nec somniare solitus. At somnus mihi
Nunc nullus, illum aut somnium triste excipit.
Nocte antegressa, dum rego navem; excidit,
Extortus imò est, clavus: excussus trahor
Tenebras in altas, & meæ uxori trahor,
Ad loca, frequentes unde formicæ volant:
Inde simulacra quanta circumeunt, premunt,
Qualia theatro posita Pompeii vides!
Clune inde verso in simiam, Asiaticus meus
Caplre canoros edit hinnitus tamen.
Quàm triste, turpe, somnium? *Pet.* Interpretibi
Ero auspicata non minùs, quàm tu mihi.
Tibi mater, hujus clavus imperii, excidit;
Quem Seneca adhuc, & Burrhus extorquent tibi.
Nox, cura, forma Octaviæ tenebras refert:
Tenebrosa conjux eon jugem in tenebras trahit,
Infamiamque: nigra plebs nigræ favens,
Quasi provolantes alta formicæ petunt.
Simulacra, gentes, stupida se opponunt malè.
Postrema quamvis simiæ carpant tibi,
Hinniet, & altum, & integrum imperii caput.
Clavum hinc tuum rape, rege: formicas malo,
Simulacra, tenebras, simias, merito obrue.
Nero. Sabina sis Sibylla: sed votum magis,
Quàm verum & animus concipit, & actus probat.
Nam mihi dehiscunt Tartara; intentant faces
Eumenides, angues, flagra, tormenta undique.
Et Eumenidibus savior mater furit,
Mihi quarta Furia, & quinta, mens intùs mea.
Mihi ecce Ditis arbiter sedit triplex,
Adjudicavit vulturem, saxum, rotam,
Urnam, aquilam, hiante cum fame æternam sitim.

Acheron dolores en parat, Phlegethon faces,
Cocytus ejulatum; & æternum parat.
Nec menti adhuc eſt, nec meæ matri ſatis.
O parce mater: at petis pœnas: dabo:
Requiris à me, an veriùs de me? dabo.
Do non ferendas: horror, ærumna, & tremor
Sum totus: an adhuc non placet pœnæ modus?
Quæ terra condet? quod mare ſceleſtum abluet?
Terra ima capiat: mare Styge infernâ obruat.
Pop. Tibi parce Cæſar: pete Deos: precibus lita
Homines Deoſque: per Magos fiant ſacra: *Suet.*
Umbræ evocentur: victimâ manes piâ *c.34*
Placentur. *Ner.* Homines ut ferant, Dii non ferent.
Quin potiùs homines non ferent, ut Dii ferant.
Homines Deoſq; qui fugit, ſe non fugit.
Diis ſubmoventur impii à ſacris: ego
Præconis illam conſcius vocem horreo.
Nec adire limen Veſtæ adorandum fero.
In me tonare, cum tonat, timeo Jovem. (*Tacit.* 14.
Pop. Prodigia narrant multa. *Ner.* Prodigiis ſolent
Nova nunciari imperia. *Pop.* Sol dubius ſtetit,
Cœptoſne curſus, an Thyeſtæos agat:
Verſo axe, medio de die perdit diem;
Stellæ ſub ipſo quò viderentur die. *Dion.*
Ner. Si perſeveret, nil querar; in ævum occidat.
Pop. Quin cœna ſubito fulmine exarſit tua,
Acſi vorax Harpyia præripiat cibos.
Ner. Harpyia mater fulmine ex noſtro occidit.
Pop. Enixa tortum mulier eſt anguem. *Ne.* Quid hoc?
Julia Neronem viperam enixa eſt ſibi.
Pop. Fulmine perempta eſt alia concubitu viri.
Ner. Quid fulmen iterum, nomen inviſum, audio?
Ni fulminata tu meo mirum: Sed hæc
Curet Pater Tarpeius: hic ſuperis labor.
Ego magis homines, quàm Deos metuo, mihi

Ne

Ne machinentur odia, & ex odiis malum.
Cura levis, ira lenta sollicitat Deos.
Nec cæsa latrat, & minùs mordet canis.
At nunc & homines, & Deos, & me mihi,
Sentio molestos: & homines utinam, & Deos,
Mecum perire sentiam: sed quod sat est,
Et hos, & illos, & fugo, & fugio simul.
Pop. Potiùs utrosque quâ reconcilies stude,
Nam spes utrinque.

ACT. 4. SCE. 3.

Ingreditur Burrhus. dein Seneca. Soph. Tigellinus. Fen. Rufus.

At ecce te Burrhus petit. (*Tacit. An.* 14.
Ner. Petit, veneno, an cæde? quid Burrhe expetis?
Bur. Tuam salutem Cæsar, & matris tuæ
Fugisse te fallacis insidias truces,
Tibi gratulantur milites læto impetu,
Ner. Veré ne dicis Burrhe? *Bur.* Da Cæsar manum
Exosculandam: testor hanc sacram manum,
Tam gaudet evasisse te matrem malam
Militia nostra, quàm suis gaudet bonis.
Ne. Ergo age, viritim singulis dono minam, *Dion.*
Posthac libenter Principis in hostes pari
Ut agantur animo: Sed mihi infenso accidit, *Tacit.*
Mea incolumitas, nec potero tanto in bono,
Nisi mæstus esse: lacrymæ invito fluunt.
Bur. Quod voluit, & quod retulit, an quisquã fleat?
Ner. Occidere volui, nolui occidi mihi.
Bur. Malim ego, prior quicunque me cædat, cadat.
Nero. Hæc isset ipsa, nisi præivissem prior.
Bur. Prior ergo periit, militum applausu omnium.
Ner. At hæc Senatus ut ferat, timeo malè.
Tu Seneca a Lilios, literas scribas meo

Nomine, ſceleſta ut tulerit inſidias mihi;
Sed deprehenſa, quâ manum intulerit ſibi.
Me purga, at illam aſperge repetitis, novis.
Sen. Facilè patrari, haud facilè purgari poteſt,
Materne cædes: pareo Neroni tamen. *Sen. exit.*
Pop. Quid adhuc ſevero triſtis es vultu Nero?
Eſt quod triumphes potiùs, in tutum tuas
Laudes receptas: Hydra, numeroſum malum,
In matre monſtro cecidit, aut Hydræ æmula.
Te dormientem ſub dio, & puerum, draco *Suet.*
Texiſſe fertur, ſtrangulaturos fugans, *N.c.6.*
A Meſſalina, & in necem miſſos tuam.
At tu draconem, nunc vir, & vigilans, manu
Magis auſpicatâ te necaturam necas.
Ner. Memini, ut mones: ſerpentis exuvias, opus
Matris, & in auro textili armillam gero:
Cujus memoriæ tædio abjicio, diu *armillam*
Quam geſtitavi. *Pop.* Sic enim exoſæ decet *projicit.*
Omnia aboleri, quæ vel effigiem ferant.
Emancipatus nunc pupillarem exuis,
Tu ſervitutem, liber, & juris tui.
Matrem reverito nunc licet quicquid licet.
Nunc αὐτοκράτωρ imperas: non es puer.
Vir vix es: ut ſis vir, mihi votum; at negat
Auguſta: ne vir utique, magiſtri negant,
Hic, ille: ne ſis Jupiter, Juno negat.
Cur differuntur, ſi vir es, thalami mei? *Tacit. 14. init.*
An forma noſtra diſplicet, Othoni placens,
Quæque tibi placuit? an triumphales avi?
An verus animus? uterus in partum ferax?
Placet illi forſan uxor, aut nullam tibi
Datura prolem: aut potiùs Eucero dabit,
Ludere perito tibiis Ægyptio?
Mihi nuptiales pollicite præſta thoros.
Præſtare quod vis jam potes: nonvis? volens,

Non

Non potes? Othonem, si Nero linquis, sequar.
Ner. Poppæa, cupio, quod cupis, quàm tu, magis.
Quod cupio, dum conficio, paulisper fine.
Burrhe, viden' illam? quin meam dico? placet?
Venerem, Dianam, Pallada, sub una putes.
Laudes in una nō vides omnes? quid est, (*Tac. An.* 13.
Burrhe, quod in illa mihi deest? *Bur.* Certè nihil;
Nisi honestus animus. *Ner.* Nisi meus, dicas, thorus:
Quem feret. *Bur.* An ergo Octaviæ sedem auferet?
Ner. Auferet: & illi, si volet, cædem inferet.
Bur. Absit: repudii ratio quæ tanti subest?
Ner. Placuit: repudia nempe Cæsaribus nova.
Bur. At illa quâ displicuit, id potiùs, petam!
Ner. Quàm proba, probetur matre; quàm prudens,
Alienus animus, forma deformis, frequens (patre.
Adulter, alvus sterilis, an Burrho placent?
Bur. Plura petis: unum, cætera ut mittam, rogo.
His non probatis pellere insontem placet? (*Dion.*
Ner. Placet. *Bur.* Ergo dotem redde in imperio sitam.
Ne. Quid ais? *Bur.* Quid ajam, me Nero ne bis roget.
Sat est semel dixisse. *Ner.* Vix credo vales.
Fauces tumentes video: præclusum audio
Arcto meatu spiritum: anginam putem! *Tacit.*
An ulcus! ut habes? *Bur.* Habeo me Cæsar bene.
Ner. At ego remedium faucibus mittam tuis.
Tu te quieti redde. Si mors sit quies, *Exit Bur.*
Reddam quietum; spiritus altos premam.
Burrho improbare, quod probat Cæsar, licet?
Libetque? tutò? impunè? tolerandus mihi?
Nec bis rogandus? dotem, honestatem crepat?
Increpat? an audit? qui potestatem dedi,
Nunc præpotentem sentio: solus regit
Illos suorum Cæsarum dominos, dare
Imperia, & eadem auferre qui assumunt sibi.
Caut. auferendus: quid moror? morbo cadit,

Morbive

Morbive curâ, toxico? hîc hostes eant.
At qui cohibeat milites, quis nunc erit?
Pop. Prætorianis præfice regendis duos:
Duos, in unum ne omnis exundet favor:
Æmulus ut alter alteri, immineant sibi:
Minùs potentes inde, parebunt magis.
Sit spes ab uno, ab altero si sit metus.
Divisa vis, infirma. Sofronium tibi, *Tacit.*
Fenium in favorem militum, & vulgi lege.
Ille tibi similis; prosperâ hic famâ valet.
Sic tibi cavebis, consules illis simul.
Nero. Quàm providenter? ille licet isto magis
Placeat, utrumq; probo. Tigellinus comes *Suet. c.*
Sit Rufo; utrumque militum assigno ducem. 32. *Polycrat. l. 1.*
Uterque scitis, credo, quid nobis opus. *c. 7. Dimittis*
Nos hoc agamus, nequis ex usu suo
Quicquâ unus habeat, & sit ex nostro magis.
Omnibus egebit, omnibus quisquis præest. *Cæsar*
Tig. Nõ Burrhus in me vivit, aut obstat tibi: *Rufum.*
Nec spes ut ille, spectо diversas ego.
Sola incolumitas Cæsaris ob oculos mihi. *Tacit.* 14.
Præsens cavebis urbis insidias satis.
At comprimendos exteros motus vide.
En Gallias erexit ille ad res novas,
Cui grande nomen Sylla dictator dedit;
Cui cura canos fecit ante annos; inops,
Atque igitur audax; cornua, ut pauper, gerit, gerit:
Simulat quietem, dum temeritati locum
Reperiat: illi Plautus ex Asia pares
Animos, honores impares, magnas opes,
Illustre jactat ex avo Druso genus.
Nec iste fingit otium; at priscos refert
Victu Quirites: Stoicum fastum fovet,
Sectamque, praxin quæ jubet, turbas facit,
Utrumque metuis; quos metuis, odio premas.

Ne-

Ner. Age, mitte in Asiam, & Gallias, ad nos caput
Utriusque qui perducat abscissum: monet
Astrologus, astra Principi ubi signant malum, *Babil.*
Visum Cometen cæde ut illustri expiem, *Suet.*
Minasque cœli à capite depellam meo. *c. 36.*
Procerum Cometes sanguinem forsan sitit:
Hauriet abunde; dabitur hinc illinc satis.
Sanguine minaces nobili extinguam faces.
Tigel. At Senecæ nostris obviam studiis venit.
Fœnore Britannos durus exactor gravi *Dion.*
Ad arma savos egit, ut numquam pari
Clade rueremus: millia quot illic neci 80000.
Data à muliere (proh pudor) ut illic mare *Boudi-*
Cruore nostro flueret: ô Senecam bonum! *cea.*
At adhuc avarus auget immodicas opes: *Tacit. 14.*
In se Quiritum studia convertit: suis
Villis & hortis vel supergreditur tua.
Laudem eloquentis vendicat soli sibi.
Nunc factitare carmina assuescit, tibi
Carmine placere ut sensit egregiè æmulus:
At equos regentis vim palàm obtrectat tuam:
Voces canentis ludit: hæc Senecam decent?
Ac si Quirinâ in urbe sit clarum nihil,
Quod non ab illo. At meta puerilis tibi
Decursa: robur, quo vales, juvenem probat.
Exue magistrum, instructus eximiis avis.
Pop. Quid odia Senecæ, quid studia, partes, opes
Memoras? id instar omnium: si quam cupis,
Abnegat: amandam at Imperat, si quam fugis.
Me tibi, vigente Juliâ, comitem tulit:
Illâ jacente, me tibi uxorem negat.
Servire Senecæ (serva quàm vilis fui?)
Id est placere Cæsari: at Senecæ gravi
Quod non in usu, id Cæsari summo nefas
In amore haberi: sic adhuc fortuna fuit?

Seneca prematur, ſpongiæ ut plenæ ſolent.
Bene paſtus aries aureum vellus dabit.
Opipara cœna eſt ex ſaginato ſue.
Sejanus ut avo, ſic Seneca profit tibi. *Tacit. An. 5.*
Pallanta Senecæ junge, qui nimias opes 14. *f.*
Longâ ſenectâ detinet, & hoſtem meis
Thalamis Dorephorum: dives, horum hæres, eris.
Ner. Quàm cuncta doctè? Seneca, ne dubites, luet
Durum magiſtrum: elatus in cœlum, ruet.
Sed opus & arte eſt, & morâ: prudens, potens,
Nec facilè caſſes, nec citò in noſtros cadet.
At noſtra conjux interim, ſterilis, gravis,
Amota per civile diſſidium domo,
Donata Plauti prædiis, Burrhi ædibus,
Inauſpicatis; pulſa mox Capuam petat:
Miles cohibeat, nequid attentet novum.
Capitale crimen tu Tigelline appara:
Servilem amorem vilis Euceri objice:
Age quæſtiones; fune, face, ferro exprime,
Ancillæ in illam vera, vel falſa annuant.
Accitus ad nos peraget Anicetus ream. *Exeunt.*

ACT. 4. *SCE.* 4.

Senatores in Curia. C. Vipſanius Coſſ. Fontius Coſſ. Thraſeas Paetus. Helvidius Priſcus.

C. Vip. Moderator orbis Cæſar has ad vos Patres
Dedit exhibendas literas: illas legam.
Dii me, Deæq; quàm pereo, pejùs velint *Tacit. 14.*
Perire, ſi quid, quo modo, ſcribam, ſcio.
Ut crimineturfilius matrem, grave:
Gravius, ut illa hunc crimine infando petat.
Non niſi dolenti filio mater perit:
Perit volenti, perdere immeritum volens.
Quid multa? mater (mater, agnoſco, mea,

Si

Si mater, in me quæ ſcelus ſtrueret, fuit)
In me, miniſtro ſceleris Agerino, ſcelus
Paravit, animo conſcio, & eodem luit.
Percuſſor ille, & illa, percuſſi ſuo
Scelere: nec ullum ſcelus Agrippinæ novum.
Speravit illa jam diu nimiùm potens
Populi & Senatus dedecus, verba in ſua
Totas cohortes militum abit ras: tamen
Infenſa vobis, militi, plebi, irrita
Diſſuaſit illis dona: ſed vobis, Patres,
Periculoſas ſtruxit inſidias, mea
Quas cura repulit: quin labor quantus mihi,
Invidia quanta, ne ſacrum irrumpens forum
Pro Curiâ reſponſa Legatis daret?
Quàm Claudiana tempora inclament ream,
Nil dico: ſed tum ſceleris eſt actum nihil,
Quod non ab illa: nunc prope abſorptam mari
Audiſtis, & tum meliùs abſorptam putem,
Quàm ſcelere, quàm vi, quàm manu tandem ſuâ.
Sed nec ego, nec vis, nec ſua ipſius manus,
Fortuna at illam publica extinxit. Patres
Statuite, merita quod mea, & matris ferent. *Exitum.*
Thra. Rumore Seneca vix bono ferri poteſt,
Huic ordini qui talia: ſed abeo ſilens. (Quia
Helvid. Cynoſura noſtra cur abis Thraſea? *Thra.*
Proferre neque quod velim; ſed quod queam,
Nolo: Ordo noſter ſervit, oblitus ſui;
Ad ſervitutem nata mancipia ut putes.
Si bene: periclum eſt; ſi malè, ſceleſtum loqui.
Helvid. At nunc perieli tute tibi cauſam facis:
Nec das initium, liberi ut ſimus magis.
Thra. Si me perimeret ſibi refragantem Nero,
Mihi gratularer, gratias illis agam,
Qui blandiuntur Cæſari: ſed ſi Nero
Vel blandientes tollit, & toller, mori

Cur

Cur frustrá oportet turpiter, vitâ frui
Cum licet honestâ liberos, linguâ erutâ ?
Sermonem habebunt posteri de me : sed hos
Quâ re meminerint, nisi trucidatos probe ?
Occidere potest, non potest Thraseam Nero
Lædere : quod audis, quodque naufragium refert,
Quis fortuitum credat ? aut adeo est hebes ?
Tantumne mulier ? naufraga an tantum audeat ?
Unus cohortes Cæsaris, classes, petat,
Perfringat unus ? non probo : non est ita.
Pietas in illo, facinus in nobis forêt.
Nec ego Neronem culpo, sed Senecam magis ;
Confessionem Seneca sic scribit ream ?
Immanitate Nero superat omnem fidem,
Questũq;. Sed vos agite, sine Thrasea, ut lubet. *Exit Thraseas.*
Fon. Decreta sic sunt: nomine Neronis, Deis
Ut supplicetur omnibus, & aræ omnium
Omnes petantur : utque Quinquatrus, quibus
Insidiæ apertæ, exinde ludis annuis
Celebrentur : hujus ut sit omne ævum memor.
Principis imago, Palladis imago simul,
Aurea locetur : sitque Agrippinæ dies
Inter nefastos utique natalis dies.
Sic de Nerone sospite Senatus tulit.

ACT. 4. SCE. 5.

Octavia profuga. mox Seneca.

Octavia. Nata in miserias, quid querar ? quid non (querar ?
Queri juvaret, si queri quicquam juvet :
Et facile, si fas : obvia querendi seges ;
Sed messis interclusa : cum pressit malis,
Quis, nisi tyrannus, flere quod fecit, vetet ?
Magis an inundet me dolor, dubium, an timor :
Timor an dolorem augeat ; an obdat magis.

De

De matre, patre, fratre jam vetus est dolor.
Nocens nocentem sustulit matrem pater:
Fratri dedit venena, cum fratrem dedit.
Dedit maritum mihi, sibi mortem dedit.
Nec mihi maritus, qui velit amari, datur,
Sed amaritudo exosa, quæ cor exedat.
Nec nuptiarum, at funeris primus dies.
Nisi luctuosum, triste, funestum nihil.
Nihil est Atridæ filia, & Orestæ soror,
Deflens utrumque, si meos luctus putem;
Miseranda, misera, nata, soror, uxor quoque:
Nata, soror alios; se queritur uxor magis.
Ancilla dominâ potior, Acte ausa est nefas,
Actumque de me docuit: illam autem expulit,
Imò & me, & illam, nupta in uxoris necem
Poppæa: sed adhuc aliquid horresco amplius.
Amplius an aliquid? an metus omnes mala
Vicere nostra? an timeo ne moriar? nec hoc:
Pellar? nec illud: pulsa ne crucier? nec id.
Sed crimen omni gravius exitio mihi.
Modo crimen absit, adsit exitium mihi.
Exitium & aderit, cum sit exilium imminens.
Pallere nullo crimine, sceleſtum nihil
Conscire, murus æneus habetur mihi.
Sortem at veretur innocens, legem nocens.
Sed crimen absit; deprecor hoc unum Deos.

Sen. Augusta, quò te fata lugentem trahunt?

Oct. Nos, Seneca, fugimus; tu philosopharis domi.
Sed num philosophi sic in uxores docent?
Pellere pudicas, capere meretrices domo?
Itane docebas? itane discebat Nero?
Nequiter uterque: uterque nequitiam luat.
Monstrum est philosophus aulicus: neutrum puto,
Uterque qui vult esse: conveniunt male. *Policr.*
Me Capua, sed te Curia potentem capit. *l.5.c.10.*

Nec

Nec illa me, quâ cepit Annibalem, capit.
Sed ista, te tutare, ne captum enecet,
Ut odore dulci pardus allectas feras.
Sed tibi, sed illi, sed meliùs urbi velim.
Modò bona fama, castitas, pietas, pudor, (*Abit Octavia.*
Mecum miseriæ, supplicia, mortes eant.
Sen. Solus. O digna summis laudibus, thalamo Jovis;
Indigna tantis cladibus, factis feris;
Vincis philosophos fœmina, virago viros.
Testare fugiens exules tecum Deos,
Nihil hîc relinqui, nisi stuprum, cædem, scelus.
Illam ista ferre cum video, quæ spes boni?
Vires, ut olim, haud artibus nunc sunt bonis. *Tacit.*
Amotus alter, ad bonum qui dux erat: 14.
Ego morte Burrhi infringor, ut ne sim potens.
Ad nequiores nequior vergit Nero.
Me criminantur, quibus honestatem libet
Calumniari: crimina hæc produnt mihi,
Quibus ulla honesti cura; qui (pudor est loqui)
Quàm pauci in aula; imò quam nulli: pius
Aulâ exit: exi Seneca, & in temet redi.
Nõ quæro latebras: nõ abeo inermis, fugax: *Senec.*
Sint salva reditu signa: referatur gradus. *tranq.*
Ab urbe in orbem redeo: patria orbis mihi. *l. 1 c. 3.*
Pars magna deseratur; at major manet.
Nec summa, nec sors infima probetur tibi;
Periclitari summa, contemni infima.
Confiste citrà: sit potestati modus, *tranq. c. 10. f.*
Authoritati terminus: ne sis onus
Pendens, ut aliis, sic tibi nimiùm grave.
Descende cautè, ne parùm cautus cadas.
Fortuna magna, servitus magna est: fuge, *ad Polyb.*
Fuge magna; cogo temet: ut tu sis malus, *c. 26. p.*
Numerus malorum ne faciat: in te redi.
Est aula ludus; ludit, illudit: vide.

Est

Eſt aula Siren; cantat, incantat: time.
Eſt aula cavea: claudit, includit: cave.
Eſt aula hyæna; comprimit, perimit: fuge.
Aut aula nihil eſt, aut ſcelus, fucus, dolus.
Paucos beavit, perdidit plures: ſed &
Hos quos beavit perdidit: ab aula redi.
Sic Seneca ſentis aulice? ferendo probra,
Grates agendo, tam diu, nimiùm diu, *Dec. Paſc.*
Ego vixi in aula: præmia reporto duo, *Aul. Pol.*
Et pœnitere, & ſapere: peccatum eſt ſatis, *pag. 251.*
Satis aulicatum: vive tibi Seneca, & ſape. *pag. 349.*
Colere potentes, dulce inexperto; ſed eſt
Experto amarum; vel metum ferr, vel malum.
Quid imperantis gratia? æſtiva eſt quaſi
Aura, mare placidum, ſomnium, Lunæ ſtatus.
Nero, ignis inſtar: nec propè habita, nec procul,
Cui fulminata eſt Juno, num parcet tibi?
En ſævientis cerno flagrantes notas.

Nero cum Plauti capite in manibus.

Nec. Veniſtin' hem cognate, & imperii æmule?
Salve imperator: quin Nero poſito metu
Conjugia maturare Poppææ parat,
Dilata te terrente? quin pellit thoro, *Tacit. 14.*
Quamvis modeſtam Octaviam? at populi gravem
Studiis, & alto Claudiæ titulo domus?
En Seneca, Plautus venit: at truncus quidem;
Et gratior, quàm Plautus in ſcena hiſtrio.
Sene. Horreſco: tanta decuit in tantum virum?
Ner. Agnoſco: quanus? at capite nunc eſt minor.
Tanguſque, ceraſi, venit in noſtras manus.
At ei, fatebor hercle, tam grandem viro
Fuiſſe naſum neſcii: ô quantus fuit?
Diadema noſtrum forſan hoc deceat caput.
Imò hic triumpho; laureâ cingo caput. *Dion.*
Sen. Civica corona cive ſervato datur,

Non

Non cæso. *Ner.* At hostis lauream cæsus dabit. (mihi
Sen. Num Plautus hostis? *Ner.* Plautus, & quisquis
Prærripere cupiat lauream, sic, sic eat. *Caput proculcat.*
Se. Nec multa medicũ funera, nec altũ decẽt *Se. clem.*
Supplicia multa Cæsarem, patriæ patrem. *l. 1. c. 24.*
Ner. Medicum severum intemperans æger facit.
Miser misericors; facilè qui parcit, perit.
An deceat hoc me nil moror: satis est, licet.
Sen. Ægrè, vel ægros urere, medentes solent:
Curare, non secare, clementes volunt.
Ner. Putrida vel illis membra resecantur, magis
Contagiosa, reliqua ne tabem trahant.
Sen. Pars melius ægris ægra, quàm nulla hæreat.
Ner. Pars ægra sanis secta dat sanos magis:
Strumam execare liceat, & deceat malam.
Tollit inimicos. *Sen.* Reddit inimicos magis.
Augustus astra & gloriam clemens tulit. *ib. c. 9.*
Ner. Triumvirorum tabulà quàm clemens docet.
Sen. Cinnæ pepercit. *Ner.* Cinna parcentem dolo
Voluit recente perdere. *Sen.* Pepercit tamen. *Tacit.*
Ner. At hunc Senatu movit assensus Patrum. *14.*
Sen. Graviora sunt hæc ludibria, quàm sunt mala.
Ner. Quicunque vel suspectus, imperium mihi
Vel velle somno tollere, peribit prior.
Sen. Utcunque cædas plurimos, illum tamen,
Qui surrogandus, cædere priorem nequis?
Ner. Utcunque cædas plurimos, illum tamen,
Qui surrogandus, cædere priorem nequis?
Mentem efferatam frangis hoc dicto: nequit
Successor interire, nisi strage omnium.
At illa strages omnium ô utinam irruat.
Sen. Quin tua perenni sobole fundetur domus.
Ner. Poppæa quam det. *Sen.* Imò quam conjux tua.
Ne. Sterilis. *Se.* Quod annus non dedit, plures dabunt.
Ner. Infesta. *Sen.* Amoris solus est adamas amor.

Ner.

Ner. Inviſa. *Sen.* Amorem vincit alienum fides.
Ner. Suſpecta. *Sen.* Non convicta. *Ne.* Sed conjux mea
Non pura modò ſit labe, ſed labis metu.
Sen. Quis ſuſpicatur? *Ner.* Cæſar; & pepulit ream.
Se. Populus gravatur. *Ne.* Populus id curet. *Se.* Queri
Ubiq; vulgus audias. *Ner.* Vulgus leve. (*Tacit.* 14.
Sen. Grave, quòd queratur: per merita divi patris,
Per ſtudia populi, per ſacram imperio manum,
Per conjugales te Deos, Cæſar, precor,
Priùs audiatur, pòſt repudietur rea.
Ner. Age, revocetur: ſed Tigellinus ream
Si quæſtione factâ in ancillas probet,
Pejus peribit, & loco, & pœnæ modo.
Se. Nùc cauſa, Cæſar, ſi vacat, agatur mea. *Tac. An.*
Octavus agitur annus imperii tui, 14.
Decimuſque quartus, quo tuæ admotus ſpei,
Opes, honores fero redundantes; nihil
Fœlicitati, niſi modus, ut abſit meæ.
Exempla magna hæc, non meæ, at ſortis tuæ.
Secretum Agrippæ ſuave Mitylenes dedit
Auguſtus; ipſa in urbe peregrinum otium,
Cæſare ferente, agente, Mecœnas tulit:
In bello Agrippa, in pace Mecœnas comes.
Utrique magnis magna pro meritis bona.
Merita mihi minora, majores opes.
Novus anteivi nobiles, proceres eques.
Fateor: ſed iſta dona ſunt, Cæſar, tua.
Menſuram uterque implevimus; quantum queat
Princeps amico dare, dabas: quantum queat
Accipere amicus, principi acceptum fero.
Incumbit hinc mihi invidia, ſed te minor.
En peto levamen, de via feſſus, ſenex,
Vel levibus impar muneribus: iſtas opes
Tuos in uſus auferat Quæſtor tuus.
Nec pauper inde, ſed magis liber, tibi

Reddam

Reddam illa, quæ fulgore perstringunt suo.
Villis & hortis quod vacat, id animo vacet.
Tibi tot per annos regimen invictum, & vigor
Supereſt: amici consilia dabimus senes,
Quanquam vacantes: me quòd ad summa auxeris,
Qui modica tolerem, cedet in laudes tuas.
Ner. Responsa subita Seneca docuisti dare.
Senibus remisit otium Augustus senex:
At conglobatis exuit neutrum bonis.
At magna bello (sic opus) meriti: haud minùs,
Ratione puerum qui fovet, juvenem instruit.
Æterna merita & munera Neroni tua.
Tibi multa per me; sint licet: plures tamen
Plura tenuerunt, sed tibi haudquaquam parem.
Te ditiores esse libertos pudet.
Quin charitate primus, es primus loco?
Tibi constat ætas; ego spatia regni tero
Propè prima: si quâ lubricus pecco, regis.
Si me relinquas, si tuas reddas opes,
Et mea tyrannis, & mea feretur fames;
Non tibi quietus animus, aut lucri modus.
Sit continentis magna laus; non est tamen
Sapiente dignum, dedecus amico suo
Unde parat, inde gloriam ut capiat sibi. *Sen. conſ. ad Pol. c. 26.*
Quid plura? si te Seneca tu debes mihi,
Ne te indigenti subtrahas: Atlas polo
Subducat humeros, Herculem pondus premet.
Cape signa amoris, oscula, amplexum, manum.
Citiùs peribo, Seneca, quàm noceam tibi.
Sen. Perpetua velit hæc Jupiter nobis bona.
Ner. Confide, fruere. *Seneca dimiſſus exit. Intrat Anicetus.*
Sic odia blandis tego,
Sic natus, assuefactus. En alter venit *Tacit.*
Anicetus, odio jam gravi, at forsan levi
Post facinus illud gratiâ: facti gravis

Minister,

Miniſter, acſi exprobret, aſpectum gravat.
Nec debitori creditor gratus venit.
Eò uſque læta merita, dum exolvi queunt,
Ubi anteveniunt, odia ſuccedunt magis.
Operæ prioris quàm memor, non eſt opus *ad eum converſitur.*
Referam Anicete: ſolus auxilium, ſalus,
Vita, incolumitas; matris inſidias meæ
Solus fugaſti authoris in dirum caput.
Locus haud minoris gratiæ en inſtat; thoro
Octaviam ſi pellis infenſam meo.
Nec opus, ut olim, eſt aut manu, aut telo: ſtuprum
Fatere rebus utile novandis tuum.
Occulta primùm præmia in præſens feres:
Majora deinde, quóque ſecedas, loca
Amæna: mortem, ſi negas, meritò feres.
Anice. Priora ſcelera quàm facile juſſu tuo
Fuit peragere? nunc quod imponis, minùs
Difficile: ſcelera me mea, ut pergam, monent:
Nec me modò ſcelus, magis adhortatur ſalus.
Fingam, fatebor plura, quàm Cæſar jubes.
Facta approbavi: dicta ne dubites mea. *Intrat Tigellinus cū*
Stuprare corpus non licet? nomen licet. *Tigellinus cū*
Ner. Age, quæſtioni, quā Tigellinū vides *Pythid.*
Agere in miniſtras, confitens acta reus. *Exit Nero.*

Tigellinus. Pythias. Anicetus.

Tig. Jā torta ſatis Ancilla, quin prodis reā? (nocēs.
Pyth. Dominamne prodā famula? *Tig.* Si domina eſt
Pyth. At innocentem? *Tig.* Prode; vel coget dolor.
Pyth. Nō coget ullas ut probā prodā, dolor. (mihi.
Tigel. Hos mulier animos? *Pyth.* Mollior, at animus
Tig. Huc aliquis ignē. *Pyt.* Flāma purū aurā probet.
Tigel. Adulterinum potiùs. *Pyth.* Et adulter quis eſt?
Tig. Eucetus. *Pyth.* Adde, ſervus. *Tig.* Et adulter tamē.
Pyth. Mentiris imā ſæve quæſitor gulā.

Corvum

Corvum columbæ, & agnæ aprum, cervæ lupum,
Satyrum Dianæ, Palladi Stygium canem
Conjunge pariter; ac heræ servum meæ.
Tig. Mammæ applicetur ignis.
Pyth. O, quid vis loquar? *Uritur mamma.*
Tig. Loquere; quid illa? *Pyth.* Casta, divina, innocens.
Tigel. Quàm mater ipsa, credo.
Pyth. Quàm nemorum Dea;
Quàm Vesta. *Tig.* Perstas? alteram ure.
Pyth. O; quid loquar? *Tacit. 2.*
Tam casta. *Tig.* Quàm tu virgo.
Pyth. Quàm conjux potest. *Dion.*
Sunt castiora muliebria Dominæ meæ,
Quàm, quo innocentem lædis, os illud tuum. *faciem*
Tig. Os obstruatur turpe. Sed testes probat *cospuit.*
Multi, quod una pernegas. *Pyth.* Ergo quid est,
Quod quæris ultrà? *Tig.* Conscia ut damnes ream.
Pyth. Damnate tortor, nec Domina sceleris rea,
Nec conscia ego sum: testis etiamnum quis est?
Tig. Quæ servierunt cæteræ. *Pyth.* An servis fides
In dominam habetur? *Tig.* Non habent servæ fidem?
Pyt. Habent? in illam, quam decet, cur non habent?
Fidemque falsis cur habes, si non habent?
Tig. Quid tu ergo? domina? tibi fides? an non fides?
Pyth. Sum serva, sed cui charior vitâ fides.
Tig. Quis credat? *Pyth.* Illam quisquis intactam sciat.
Tig. Intacta Amazon. *Pyt.* Carnifex rides? *Tig.* Tace.
Pyth. Non taceo. *Tig.* Linguam evello ni taceas: taces
Dicenda, sed tacenda proloqueris procax.
Pyth. Nempe illa petulans quæ Tigellinus velit.
Tig. Quæque expriment tormenta, fax, ferrũ, fames,
Anicetus. Imò insolenter ista mittatur procax:
Ingenii & animi capiat hinc laudem sui.
Pyth. Cruenta spolia: laus tibi talis. *Tig.* Tace.
Pyt. Torta, quia tacui. *Tig.* Non taces? linguam eruc.
Anict.

Anice. Imò audienda, ut audiat quæ nunc feram.
Suſpicio valeat, quæ parum in ſervo valet. (*intercedit.*
A me, fatebor egomet, hoc omne eſt ſcelus.
Vidi Neroni Octaviam exóſam ſuo:
Odium mariti ſtruit ad uxorem viam.
Vidi marito conjugem infenſam ſuo:
Infenſa quid non in virum conjux ſtruet?
Vidi modeſtam fronte, miſerandam tamen:
Miſera, modeſta, pellicit amores meos.
Me vidit illa claſſis eximium ducem:
Socianda claſſis ſpem novis rebus dedit.
Vidit, novercam ut abſtuli; ablatam ſibi
Gaviſa: ab illo charior facto fui.
Vidit potentem, vidit & amantem ſui:
Amans, potenſque à fœmina quid non ferent?
Vidimus utrique, utrique miſcuimus dolos,
Conſilia, vires, corpora: quid ultrà poteſt?
Sed illa, dum res exigat, ut artes tegat,
Partus abegit. *Pyth.* Euge, ſis mendax memor
Partus abacti; & ſterilis exacta? haud pudet?
Tigel. Pro ſterili habetur, cujus haud partus patet.
Pyth. At ille, ut illam! *Tig.* Quin taces? nondum
Probantur iſta? an neſcio quid ſit ſatis? (ſatis
Satis eſt, ſuperque: liber, ultrò, in ſe, reus
Fatetur: hanc vos rapite; nos Cæſar manet.

ACT. 4. SCE. 7.

Nero. Umbra Agrippinæ. Vox intùs. Poppæa. Tigellinus.

Umb. Agr. Nero. *Ner.* Quis vocamur? quis vocat?
Umbra. Mater. *Nero.* Scio. (*in puerulũ impingit*
Venio: quid hoc eſt? in foro expoſitus puer? *exiens.*
Scitus puerulus: ſcripta quid narrat novi *Dion.*
Tabella? *Non te tollo, ne matrem auferas.*
Quin tolle, ne te tollat, ut tolli times:

Si te abſtuliſſet ille, non exponeres. (*aufertur puer.*
Hunc tollat aliquis. *Vox intùs.* Suſtulit matrem Nero.
Ner. Putà ſuſtuliſſe: quiſquis es, non te peto.
Vox intus. Matrem interemit.
Ner. Quid tuâ? matrem tuam
Non interemit; ſed ſuam: non te ſequor:
Nec enim fatebor iſta quàm doleant: probra
Agnita videntur, ſi doles; ſi non doles, *Tacit. An. l. 4.*
Spreta exoleſcunt: ingenia inanis dolor
Irritat otioſa: crebreſcet magis
Fama, ubi vagatur pœna: contemni probra *Dion.*
Probris medela eſt: non pudet: in animo meo
Nil magis habeo laudare, quàm quòd nil pudet. *Suet.*
Sed adhuc quid illud? Culleus ſtatuæ meæ *C. 29.*
Aſſuitur? & ego meritus in eundem inſui. *Culeus in*
Sed utrinq; quid tabella proſcriptũ dedit. *ſtatua ſuſp.*
Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι. *Suet. N. 39.*
Qui venit illis, veniet & nobis furor? *Tabel. in-*
Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronẽ? *ſcript.*
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.
Ego morte, at humeris ille: placet σῦριγξ mihi
Epigramma: veniat author: hanc laurũ ferat. *culeum.*
Tollam ego vel illum, patrem ut Æneas tulit,
Medios per ignes; perdam ut uxorem tamen.
Poppæa ſed quid territa exiliit foràs?
Pop. Non ſunt in illo res loco Cæſar meæ *provoluta*
De conjugali ut tumida concertem thoro: *genibus.*
(Quanquam ô, ſit ipſâ potius id vitâ mihi)
Sed ipſa mihi jam vita in extremum locum *Tacit. 14.*
Adducta, ſævis æmulæ ſervis meæ
Octaviæ petita, qui nomen ſibi
Populi indiderunt; pace tentarunt ea,
Bello evenire publico quæ vix ſolent.
Revocata poſtquam Octavia, frequentes ruunt,
Bacchãdo reſonãt, undiq; effigies meas *Sen. Oct. act. 4.*

Tractas,

Tractas, jacentes proruunt, cæno obruunt.
At siqua imago Octaviæ affulsit, gerunt
Humeris ovantes, floribus spargunt, foro,
Templisque statuunt: clamitant, fremitant, strepunt;
Nescio quid, ipsi nesciunt; me, te crepant,
Illam, aulam, & arma, tela, ferrum, ignes crepant.
Nec liber ille est, libere qui non fremat;
Imò licenter obstrepat, dicat malè.
Fera turba verum percrepat Martis genus; *cho. 1.*
Pulsosq; reges memorat, & fractos duces: *& 3.*
Memorat tyranni sæva Tarquinii stupra,
Decemviri mox Appii, arbitrio gravi
Quiritum, ut ille pulsus, hic cæsus luat.
Vis turbulenta nomine vocatur novo,
Romana virtus: imperat populus; jubet.
Quam odit repelli; cui favet, recipi jubet,
Furor furorem promovet; eundo furor
Vires adauget; armaque ministrat furor.
Nolens volenti cogitur, currit volens.
Gerit arma turba, nescia quid armis geras.
Arma illa contra principem sumi liquet.
Nec animus, at dux jam deest: nec dux diu
Deerit novandis rebus: alioqui meum
Quod crimen? animum cujus offendi uspiam?
An quia datura Cæsari verum genus,
Ægyptii tibicinis spurium suo
Malit reponi populus imperio? tuis
Si rebus id conducat, age, dominam libens
Accerse, non coactus: aut potiùs tuæ
Securitati consulat justa ultio.
Aliquid tulere, Octaviæ dum spes fuit
Redintegrandæ gratiæ; hæc spes si cadat,
Illi maritum, & dotem in imperio dabunt.
Fave Nero mihi; mihi, tibi Cæsar cave:
Vel pignus utero quod tuum gestem meo.

Nero. Poppæa noli genibus advolvi meis;
Quæ semper odiis, nunc atrox urges metu;
Accendis odiis odia, multiplicas metu
Metum: ejus odia meus amor vincat; metum
In me fides expellat: An populum times?
Est, est timenda multiceps Hydra: Herculi
Non est timenda: at unicum si sit caput,
Quàm facilè lueret? unicum ô utinam foret, *Suet.*
Unicus ut ictus amputet. An audet procax *c.30.*
Bellare cum Diis infimi proles luti?
O fulminati quin ruunt montes? ruent.
Igne subigenda est Hydra, si ferro nequit.
Ferro, ruinâ, & igne subigatur. Furit
Populus in armis? arma furiosum premant.
Pop. At multitudo tanta quî reprimi potest?
Ner. Fidelem adoptat hic Tigellinum labor.
Inerme vulgus miles armatus premet
Facilè. *Pop.* Faciliùs fortè multi unum prement,
Quàm reprimet unus plurimos: forsan priùs
Aulam cremârint ignibus. *Tig.* Jacta alea.
Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Ner. Ἐμοῦ δὲ ζῶντος: unica hæc clades mihi
Quòd clade nullâ, nisi Britannorum procul,
Mea claruerunt tempora, ut nostri memor
Ætas futura nos canat: at aderit dies,
Quo face ruinas, sanguine extinguam faces.
Interea in illos militum immissi globi,
Demoliantur, prorumpant, rapiant, necent.
Agite, ite in illos; ite Præfecti truces.
Pop. At concitatrix illa, turbarum caput,
Nova meditari, Cæsaris abuti thoro,
Jam nota, jam notata, num tutò auferet?
Tumultuosa ut concitet turbas novas?
Causam mali præscinde, ut exscindas malum.
Populo sororem jam aufer, ut matri priùs

Fratrem

Fratrem abſtuliſti: tutus exinde imperes.
Ner. Grave ſtirpe natam Claudiâ claris avis,
Grave imperantem; conjugem ut tollam, grave.
Pop. Tollas ut illam, quæ gravis, non eſt grave.
Ner. Hinc odia populi; at oderit populus licet,
Dum metuat: ego quàm diligi, metui velim. *C.* 30.
Poppæa ſuadet; pellicit: populus fremat,
Rumpatur: age, pellatur hinc conjux procul *Tacit.*
In Pandaterias inſulas; pulſa occidat.
Poppæa mihi dum luceat, cœlum occidat.

CHORUS.

Nemeſis. *Glyconici.*

URgent fata tyrannidem.
Tam trux nulla tyrannis eſt,
Quàm mentis malè conſciæ.
Nemo ferit, at hæc timet:
Nemo cum ſequitur, fugit:
Nec ſe, ſi reliquos, fugit.
Nec ſe, cum fugit, effugit.
Hæc, hæc, ut Stygius canis,
Irâ, luxu, odio triceps.
Hæc, ut tres Furiæ, invident,
Ulciſcens, cupiens malè.
Ut Ditis tria flumina,
Ardeſcit, dolet, ejulat.
Urgent multa foris mala;
Intùs plura premunt reum.
Teſtes mille ſinu gerit,
Nec ſe judice ſolvitur.
Palleſcit, tremit, æſtuat,
Horreſcit, fremit; exedit
Cor curis miſeris ſuum:

In somnis vigilat, putat
Factum, quod fieri potest.
Totus fit dolor, & pavor:
Totus suspicio, & furor.
Exosus Superis, sibi,
Optat sæpe mori, & timet,
Et vivens moritur tamen.
Mox vult, quos voluit mori,
Vivos, nec revocat tamen.
Tantum mens mala fert mali.

ACT.

ACT. 5. SCE. 1.

Vmbra Octaviæ.

Oror Neronis, nec tamen verè soror,
Nedũ uxor, orba patre, matre, & jam diu
Fratre spoliata, vidua viduanti viro,
Haurire cœlum desii, at cœlo fruor;
Dedique pulsa pellici in solio locum.
Cœlũ petẽdũ est: imperia pellex tenet;
Augusta & ipsa, & filia ipsius, parum *Tacit. an.*
Vivax, parentum ut innocens crimen luat. 14. *f.*
Non exul alia milites, cives Patres
Majore luctu affecit: infaustus, brevis 2. *m.*
Popularis amor est: Manlios, Gracchos amat;
Quin perdit: & idem patruus, & Drusus pater
Sensere, & uxor patrui, haud meriti malum. 14. *f.*
Id gemina sensit Julia, at merito suo
Utraque impudica, pulsa, concluſa insulis.
At robur illis aderat ætatis; prius
Læta aliqua lætæ viderant, præsens malum
Minuêre, quod erat, dum recordantur bonum.
Ego lustra vix dum quatuor ut egi, mali
Præsaga, vitæ exempla gemo: nec dum tamen
Morte acquiesco: nec dies unquam fuit
A morte matris, quin ferat gemitus meos:
Conscia nec unquam sciſſe quid lætum velit;
Nisi morte lethum cum fero, & jubeor mori.
Sim vidua, dixi; sed soror vivam: negant.
Testor novercam, patruum, fratrem, patrem;
Noverca parcat, adjuvet frater, tegat

Patruus, pater defendat : at ſurdis cano.
Aſtringor utique vinculis, vena undique
Artus per omnes ſolvitur, tardè fluens
Preſſus pavore labitur ſanguis : vapor,
E præcalente balneo exanguem necat.
O ſæva ; nec adhuc ſanguine extinguit ſitim
Poppæa, ſed quod loquitur accerſit caput,
Spectatque : ſed & hæc, quâ parum credit, cadet.
Me cædit, alii cedet ut nubat Nero ; *Suet.N.c.28.*
Qualis Domitio nupta ſi patri priùs,
Cùm rebus hominum quàm meliùs actum foret ?
O monſtra ; nec adhuc civibus parcit Nero,
Nec civitati, cædibus cives, domos
Flammis, ruinis, deſtruens, ſtrage omnia.
Tollere Neronem peſſimum, votum optimis :
Tollere Neroni peſſimo fatum optimos.
Morietur ipſa, ſi mori pietas poteſt,
Proh ſancta pietas : ſed an adhuc vivit Nero ?
An parricidam video & homicidam ſui ? *Dion.*
Sic eſt, ut ipſe in Oedipo dices tuo, *Suet.c.46.*
Θανεῖν σ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ.

1.2. *ACT. 5. SCE. 2.* *Incendium.*

Cives Rom. quatuor. Cubicularius Neronis. Nero.

Civ. 1. O ſubvenite civibus cives : domos *Intrat 2.*
Ignis pererrat : ignis, en ignis furit, *ad Auſtrũ.*
Populatur, ingraſſatur hâc, illâc. *Civ.*2. Ubi ? 1.3.
*Civ.*1. Ecce, ecce ad Auſtrum. *Civ.*2. Curro.
*Civ.*3. Quo curris ? tua Domus ardet.
*Civ.*2. Heu me : quomodo auxiliũ feram ? *Exit.*2.
*Civ.*3. Auxilia velox facilè præcurrit malum.
*Ci.*4. O ſubvenite civicis flãmis *Ci.*3. Ubi ? *Intrat.*4.
*Ci.*4. Septẽtrionem verſus en flãmæ volãt, *ad Bo-*
Vorãt, vagãtur. *Ci.*1. Quomodo exortas putes ? *reã.*2.

Unde

Unde excitatas? *Civ.* 4. In malo hoc aliud malum,
Nec origo, sed nec finis apparet mali. (*Tacit.* 15.
At opē ista poscunt. *Civ.* 3. Promptā at impediunt opem
Et arcta itinera, flexæ & enormes viæ;
Clamor, ululatus fœminis, pueris, viris,
Senibusque, dubiis quid petant, quid non petant.
Pars hæc moratur, illa festinat; trahit
Hæc, illa retrahit: spectat à tergo? latus
Premitur: lateribus consulit? tergum perit. *Dion.*
Ædibus, ut ædes servet, in vicum fugit;
Refugit in ædes, aliquid in vicum ut ferat.
Servare nequiens sua, suis ibit comes.
Longinqua pariter proximis ardent, ruunt.
Videre fumus, clamor audire impedit.
Nisi ignis, ignis, ignis, aspicitur nihil: *Redit.* 2. ad
Nisi ignis, unda, unda, ignis, auditur nihil. *stulis.*
Civis. 2. Unda, unda inundet. *Intrat Cubicula-*
Cubi. Unda mittatur, nisi *rius jactans faces.*
Vis mergi in unda! *Civ.* 2. Nonne restinguā? *Cub.* Sine.
Civis. 2. Flammas? *Cub.* An audes?
Civis. 2. Audeo; sed istas faces
Authoritate quâ jacis, jactas? *Cub.* Mihi
Est author. *Civis.* 2. Et quis? *Evolant.* 2.
Cub. Quid tuâ? pende; & peri. *& Cubic.*
Civ. 1. An ista liceant? an Nero est author mali?
Malè jussit ille? an iste liberiùs furit,
Jussisse fingens? Ignis, ut castris solet,
Micat omni in urbe: civis exportat sua,
Miles aliena rapit: alius alium trahit,
Exturbat, exturbatur; opprimitur, premit,
Qui fugit ab alio; à se perit, qui non fugit.
Opem unde petiit, reperit inopinam necem,
Avidos hiatus alta Mors pandit; novi
Imago lethi gravior & letho venit.
Dolor in dolore, luctus in luctu recens.

Ruit omnis ætas, sexus, exitio pari.
Comes parenti natus, adolescens seni,
Moritur: cremandis non deest rogus; at suus
Cujusque non est, omnium est unus rogus.
Tu clade tantâ quid siles, horres, stupes? *ad 4.*
Civ.4. Quid loquar, agamve nescio: quis non stupet!
Quasi pastor, agros sternit ubi torrens novus?
Quis noctis hujus funera loquendo explicet?
Lachrymis labores æquet? extremum malum,
Exhausit ignis lachrymas: en ut ruat
Multos per annos domina dominantum urbium
Urbs Roma: ubique luctus, & ubique est pavor,
Et ubiq; mors est: hâc agunt, illâc ferunt. ἄγουσι,
Aura movet ignes; ignis & ad auras furit. φέρουσι,
Noctem ignis aufert luce; sed fumo diem.
Extinguat ignes, ignibus lucens Tybris.
Sed nec Dii hominibus, nec Deis parcunt vagi
Ignes, ad unum templa, cum templis Deos
Vastando; ut unus urbe nunc totâ Deus
Dominetur, altus Mulciber: numquam tulit *Liv.l.5.*
Hâc urbe tanta spolia Vulcanus; nisi *A.V.C.365.*
Cũ Gallus olim, & hujus hoc mẽsis die, *14.Cal.Sextil.*
Et cepit, & cremavit hanc Brenno duce.
Sed Brennus hostis mitior, quàm nunc Nero;
Parti perpercit; concremat totam Nero. *Tac.an.15.*
Nempe regiones Roma bis septem tulit:
Vix quarta pars intacta: tres æquæ solo:
Semiusta, lacera tecta septem aliæ ferunt.
Nisi mente captus quis suam incendat domum?
Suos trucidet subditos? O sic luat,
Ut innocentes luimus, horũ author nocens. *Nero conspicitur, lætus.*
Sed ille, veste scenicâ, en turri editâ
Videt, & miserias publicas credo canet. *Suet.c.38.*

Nero è turri Mecœnatica, habitu citharœdi.

Nero. O vota tandem expleta: fœlicem diem.
Suprà supremos, ô Nero, nunc fers gradum.
Id semper animo, semper in voto fuit, *Dion.*
Ut vivus urbem perderem: votum attigi;
Superavi: id unum deerat, ut tanti boni
Spectator essem, imò actor: alluxit bene.
Mihi perbeatus Priamus est visus, suam
Dominationem, & patriam amittens simul.
Par, quâ beatus; quâ miser, dispar: fruor
Ditione, patriam perdidi: ô factum optimè.
Quàm pulchra flamma est? plaudo fortunæ meæ.
Pulchrè videre videor incensum Ilium:
Et canere αλωσιν Ilii, ut par est, juvat.
Civ. 1. In matre canitur filia, & Roma Ilio.

Cantio Neronis, αλωσις.

Musæ Pierides, dicite, dicite,
Exustum Danaïs ignibus Ilium.
Hos ignes Hecube parturit Ilio:
Hos ignes Helene subdidit Ilio:
Hos ignes Paridis judicium dedit:
Hos ignes Veneris præsidium tulit.
Neptunum superat Mulciber æmulus,
Et Juno Venerem, Pallas Apollinem.
Ædes Iliacas flamma pervambulat:
Incumbunt gravidis Pergama Pergamo.
Cladem clade premit diva calamitas.
Strages, & fragor est, & cinis Ilium.
Atridæ resonant Marte duces Iò.
Argivi reduces ingeminant, Iò.
O fœlix Priamus, cantio Troadum,
Qui secum moriens regna tulit sua.

Civ. 3.

*Civ.*3. Fœlicitatem hanc ne quis invideat tibi.
At Hecubæ, & Helenæ, & Paridi, si pejùs potest,
Sit pejus, in nos qui faces jactent suas.
Illi precamur (audiant superi preces) *flexis genibus.*
Incendiorũ (quisquis est) diro fabro, *ut audiatur.*
In immerẽtes qui ista, sint, ò sint malis, *Dion.*
Mala cumulata; sint paria nostris mala,
Et Hecubæ & Helenæ, & Paridis, & Priami mala;
Sin ista bona sint, quæ ipse fateatur mala.
Ner. Quid ore rabido funditis diras truces;
Nec scitis in quem. *Civ.*4. Quisquis est, Cæsar, luat.
Ne. Luet; ideoq; seriò inquirens reos *Tacit.*15.
In Christianos incidi, invisum genus *Suet.C.*16.
Hominũ, & maleficũ, cui superstitio nova *Sabel.*
Repressa sæpe erupit, ut palmæ solent.
Judæa cœpit, Roma hoc excepit malum;
Pudenda cuncta quò fluunt celebri loco.
Aliqui fatentur: hos agite, rapite, ut lubet:
Tegite ferarum pellibus, morsu canum
Laniate: crucibus figite, & flammis date
In noctis usum urantur, ubi deerit dies.
Hortos in hoc spectaculum cedo meos:
Mixtusque vobis supplicia cernam lubens.
*Civ.*1. Illine meriti, nescio, an miseri magis.
Nec ista nobis, sed tibi faciunt satis.
Nobis minatur, quod Sibyllinis libris
Olim illa cecinit.
Τρὶς δὲ τριηκοσίων πριτελλομένων ἐνιαυτῶν
Ῥωμαίους ἔμφυλος ὀλεῖ στάσις.
Hoc movet, terret, tenet.
Ner. Soletur hoc vos, in Sibyllinis libris
Non invenitur carmen adductum. *Civ.* 4. Sed hoc,
Ἔσχατος Αἰνεαδῶν μητροκτόνος ἡγεμονεύσει.
Ner. Bona verba Cives, facta si exigitis bona.
Quæ vetera concremavit alienus dolus;

Augustiora,

Auguſtiora, cura reſtituet mea:
Quamque lateritiam capio, marmoream dabo:
Meuſque ſumptus rudera aggeſta egeret, *Tacit.*
Purgabit hauſtas areas, uſtas domos.
Spatia viarum lata, vicorum ordines,
Stagna, arva, ſilvæ, porticus, quid non erit?
Natura quod negârit, ars victrix dabit.
Vos in laboris præmium & ſumptus mei,
Neroniam vocate, quam Romam priùs. *Suet. ib.*
Verùm reliquias ne quis attingat ſuas:
Sed cõferendis ſumptibus quiſq; afferat, *Cives ſigil-*
Provincialis, municeps, civis, ſui *latim ſe*
Tributa cenſus: dona non tantùm ſua *ſubducunt.*
Achaia & Aſia, at numinum huc mittat ſimul
Simulachra: prædæ divites cedant Dei,
Cum Diis trophæa, vota, ſacrata omnia.
Sed quid loquor? dilapſa plebs nõ audiet: *Exit Nero*
Vos facite Comites, ſentiat factis gravem. *cum ſuis.*

ACT. 5. SCE. 3. 1.3.

Seneca. Paulina. Cleonicus.

Sen. Poteſtne fieri? credat hoc quiſquam? jubet
Nero, venenum mihi meus præſens ferat
Libertus? *Cleo.* At te liberat ab illo tuus
Libertus. *Pau.* Animam liberat fidus ſuam.
Cleo. Prior in patronũ, in principem minor eſt fides.
Virtus patroni principis vicit ſcelus.
Malè mos geratur peſſimo, mors optimo
Ut ingeratur: egomet ô moriar priùs.
Pau. Pietas ſuperbos deſerit, ad humiles venit.
Sen. Huc ſigna amoris, oſcula, amplexus, manus?
Cleo. Amplexus angit; oſculum afflatu inficit:
Manus illa panem oſtendit, hæc lapidem tenet.

Sen.

Sen. Citiùs peribit? *Pau.* Citiùs & pereat nocens,
Quàm non nocenti noceat. *Sen.* Hic amor? hæc fides?
Pau. Amor an in ullum est, an fides, cui nec fides,
Nec amor in ullum? *Sen.* Sic Nero Senecæ bonus?
Pau. Bonus an in alio esse, non in se bonus
Poterit? Neronem sic Seneca, Senecam Nero
Novit? nec odit? odit? & credit bonum?
Nero bonus ut sit, at Tigellinus malus:
Malus urget, instat, invidet, culpat, premit.
Ut amere, nimiùm es dives, & nimiùm bonus.
Sen. Littus ego legi, vela contraxi, mare
Deserui, in ipso mergor allisus vado.
Rarus per urbem, rarus invisor domi; *Tacit.* 15.
Vito comitantes, quasi valetudo mala,
Quasi nervus æger: quid Tigellinus magis,
Quid Cæsar optet? *Cleo.* Optat opulento necem,
Cæsi ut fruatur opibus. *Sen.* O inopes opes,
Quas cura magna congerit, major tenet;
Matres miseriæ, servitutis pignora, *Sen. epist.*
Onera, aut pericla: præda prædonem vocat: 116. &
Nudum latro transmittit: at, non spe lucri, 105. *trãq.*
Nudus petatur, minus habet, perdet minus, *vit. cap.* 3.
Minùs dolebit: plus dolet qui plus habet. *ep.* 14. &
Bona tanta perdam? quid fatue dicis bona, 85.
Quæ possidentem pessimis perdunt modis?
Ob opes nocetur, non nocent dominis opes. *ep.* 88.
Sed quo veneni genere sublatum cupit?
Cleo. Quo vis. *Sen.* Habetur gratia: cicutam velim.
Vixisse volui ut Socrates & sic mori;
Probus, philosophus, innocens, latus, senex.
Vicit venenum Socrates; vincam meum. *ep.* 99.
Bibet veneni vel sui partem malus. *ep.* 82.
Pau. Bibat ipse totum: vincere, ulcisci potes;
Potes opulentus vivere; an mavis mori,
Vinci, enecari, timidus, infamis, miser;

Quàm

Quàm fortis ultor, victor incolumis, frui
Te, me, tuisque? Num Seneca, quòd se necet,
Malè ominando dictus? O omen malum
Averte prudens: vive mihi, si non tibi.
Vitam memineris in tua verti meam. *Sen. ep. 105. p.*
Nec vivis uni, nec moreris: in te sene
Mihi juniori parcitur: in uno duos
Violet venenum spiritus violans tuos.
Mihi chare, mihi te commodes, vivas mihi.
Sen. Paulina, caveam quò tibi, càveo mihi:
Quia tibi charus, charior factus mihi.
Amor iste in uno & gaudium, & merces mihi.
Timor & salutem munit, & refuit meam.
Ut me magis ames, an petam? *Paul.* An possim magis?
Sen. Ut me magis amem, tu petis, & ecce impetras.
Timorem, amorem, mihi tuum, & nostrum imputes.
Sed si necesse est mihi mori, num tu simul
Moriere? *Paul.* Moriar. *Sen.* Frigidè,
Paul. At moriar. *Sen.* Simul? (mihi?
Pau. Si sit necesse. *Sen.* Tibi? *Pau.* Mihi. *Sen.* Sed si
Pau. Et tibi. *Sen.* Quid horres? *Pau.* Horreo mortem
Se. Horrenda non est, quâ vel ulterius nihil, (tuam.
Vel quicquid ultrà, melius est vitâ optimâ:
Medicina, portus, meta, perfugium à malis.
Medicina sanet; num magis morbus juvet?
Portus pateſcit; num mare undosum placet?
Meta appropinquat; currere an retrò vacat?
Perfugium apertum; profuga quin patriam petis?
Via, vita; cœlum, patria; mors illuc iter:
Circuitus illa, hæc exitus: corpus mihi,
Quasi pœna, pondus; carcer, hospitium, labor. *ep. 65.*
Pusilla res est, anima; res magna est, meæ *nat. qu. l.*
Contemptus animæ: transeat missa, evolet *6. c. ult.*
Emancipata, libero cœlo frui.
Sit turpe rapto vivere, at pulchrum mori. *ep. 70.*

Tandem

Tandem neceſſe quod ſit, id libeat citò.
Pau. Audi Philoſopbe, quod tua, vel ex te, audii.
Timere mortem ſit malũ, quia non malũ : *Joſ. bel.*
Optare mortem ſit malum, quia non bonũ. *Jud. l. 3. c.*
Nam timidus itidẽ vult mori, cũ nõ opus ; *14. Juliã.*
Non vult, cũ oportet: facilè contẽnit miſer *Am. Marc.*
Vitam : is validior eſſe qui poterit miſer. *l. 25. Martial. l. 11.*
Vix ulla virtus, reſpuas vitam ; amplior, *ep. 57. 15.*
Patiare vitæ damna, nec jactes jugum. *Sen. Theb.*
Niſi Imperator melior, & major jubet, *Act. 1. Iun.*
Statione ne decede ; ſin melior vocat, *ſa. 13. 21.*
Ne, ut otioſus lucifuga, hybernis ſede. *Joſ. bel.*
Malus ille ſervus, qui malũ dominũ fugit : *Jud. l. 3.*
Fugitive ſerve, an optimũ Dominũ fugis ? *cap. 14.*
Onus eſt ? repone feſſus; haud falſó abjice.
Carcer, domuſq; eſt ? ut migraturus quidem
Habita ; at nec ipſum carcerem effringas ; neque,
Ut Nero, propinquam cum tuâ incendas domum.
Natura quem decernit, expecta exitum.
Sapiente vis indigna : mortem ne attrahe ;
Admitte : vitam ne oderis, ſi non ames.
Nec res puſilla eſt anima, niſi & animus tibi
Puſillus : homine majus in mundo nihil ;
Nil animo in homine : nam quod in mundo Deus
Id anima in homine : magna nec res eſt tuæ
Contemptus animæ ; niſi viros magnos putes
Quanti ſit anima neſcios, plebem infimam.
Fera nulla, ut in ſe ſæviat, tam ſit fera.
Sibi parricida, (nomen ô nimium leve)
Vult ſorte Divus eſſe, quia non vult homo !
Qui perimit alium, latro ; num, qui ſe, bonus ?
Si te trucidet alius, homicidam execrer :
Tu te trucidas, meque ; ſed amandus mihi ?
Deus, eſſe, donat ; nec Dei donum abnue ; *Joſ. ibi*
Nec niſi petenti redde depoſitum Deo.

Nec

Nec vita, nec mors, tua tibi ferenda est modo: *Sen. ep.* 70.
Aliis utramque, & Judici summo approbes.
Summa manet animas mœstitia, quæ se necent.
Denique mulieri terribile quàm sit mori,
E terribilibus ultimum, quamvis seni,
Quamvis coactæ, cogita, & cogas mori.
Ab utroque potius pelle & interitum, & metum.
Priùs Neronem aggredere, quàm te Nero:
Aggressus ille est; sequere: non audes? metus
Prohibet? quis Ille? mortis: en mortis metus
Et Senecam adoritur; pellit ad mortem tamen.
Ac si ante nimbum sponte submergat ratim *Jos. lib.*
Rector, procellam quia rati infestam timet.
Sen. Injicis & animo scrupum, & ardori moram.
Sed adesse video quos peroptabã viros. *Dimittit uxorẽ & libertũ.*

Intrant Fen. Rufus. præf. Subr. Flavius. trib. Sulp. Asper Centur. 1.4.

Fen. Ruf. Quousq; Seneca patimur ad agendũ fati?
Querimur, studemus? vota meditamur pia?
Meliora cœlos poscimus? at agimus nihil?
Agenda; non precanda: quod turpe est viris,
Effœminati, quodque militibus probro,
Morimur inulti; an vivimus inertes magis?
Sepelimus ante funus animatos adhuc?
Anima est, at animus nullus; animosos nego.
Nos turpiter deprimimus, & capita abdimus,
Submissa colla dum Tigellinus ferit.
Te criminatur, quia probus, dives, potens.
Me, vita, fama quia melior, pdit parem:
Crimine fatigat criminis purum: facit
Ut metuar, illum qui metuo, quoniam malus:
Me Juliam stupratæ confectam objicit:

Ulciscẽ

Ulciſci & illam velle ſublatam arguit.
Odium arguendo utrique, & exitium parit.
Quouſque Seneca patimur ad agendum ſati?
Sen. Cui chara virtus, chara virtutum actio,
Tutela curæ eſt. Ruſe, quid tantùm mala
Privata quereris? mitte mea, mitte & tua.
Mala, quæ duorum, levia: commune eſt malum.
Utinam, quod aliis, in caput Senecæ ruat.
Calamitates ſub jugum miſi meas. *Sen. divin.*
Venena ſoli mixta quàm lætus bibam? *prov. c. 4.*
Patiar lubenter, non lubens faciam ſcelus.
Sub. Flav. Vox imperante digna, quàm diſpar tamen
Nunc imperanti? talis, ô talis regat.
Lupo fit ille præda, qui ſe agnum facit.
Dura niſi facimus, patimur: audendum eſt: habet
Res acta caput, à capite felicem exitum. (times?
Agatur aliquid. *Sen.* Et quid? *Flav.* Aliquid. *Sen.* Non
Subr. Flav. Niſi timor ipſe, terribile in iſtis nihil.
Mihi, tibi, ab illo timeo: ſed pellit timor
Timorẽ; & illũ tollet, ut tollat metũ. *nudat enſem Fl.*
Se. Quæ ſpes? *Fl.* In iſto. *Se.* In principẽ? *Fl.* Egregiè
Se. Malus, at ferẽdus. *Fl.* Si bonos alios ferat. (malũ.
Sen. Poteris tribunus unus? *Fla.* Caium ſenex
Molliſque potuit Chærea; & Brutos duos
Hic eſſe, & in me Caſſios credas duos.
Satis unus. *Ruf.* At non unus audebis: præeſt
Præfectus, à Nerone qui primas tenet;
Sulpicius & adeſt Centurio: Granius tibi
Et Statius; illi Scaurus & Paulus pares.
Sed cum premetur tibi Nero, quis hæres erit?
Sulp. Aſp. Odium Neronis, inque Piſonem favor,
Jam concitavit, milites, equites, Patres.
Subr. Fl. Egregius hæres: quàm nihil probro refert
Citharœdus ut ſubinde moveatur loco,
Tragœdus & ſucceſſor in ſcena regat?

Quem

Quem nulla virtus, aliqua si species, probat;
Luxus, voluptas in scelera pronum ferent.
Sed age, Neronem Piso premat, illum statim *Interve-*
Nos opprimamus, Seneca ut imperium gerat, *nit Na-*
Sapiens, modestus, gratus, opulentus, potens. *talis.*

Sulp. Asp. En Senecam ab illo qui volens visat, venit
Natalis. *Sen.* Auditu arcete; mihi gravior salus,
Et amor quietis: colloquia neutrum juvent.

Ruf. Tu Flavi ad illos: linquar ego Senecæ comes.

Exeunt Sen. & Ruf.

Sulpicius Asper. Antonius Natalis. Sub. Flavius. 1.5.

Sulp. Asp. Natalis, an parata Pisoni, omnia?

Ant. Nat. Vix dum. *Asp.* Parare properet; abjiciat mo-
Differre noceat: dubitat? incepto est opus: (ras.
Facto opus: at ille forte consultat; dies
Prolatat; hæret: prodit & perdit suos. *Matth.*
Bonum, celeritas: mora, malum: pellat morā. *in Liv.*
Quot cō venitis? *Nat.* Quinquies numero decē. *l. 3. c. 6.*

Sub. Flav. Multi nimis: non multa tam multis fides.

Ant. Nat. Sua probra quoſdā, injuriæ quoſdam suæ,
Quoſdam novarum rerum amor, quoſdam metus,
Fortuna quoſdam exesa, quoſdam spes rei
Melioris; aliquos Piso bonus, amplus, decens;
Omnes Neronis odia, mala juncta omnium
Dare nomen urgent, incitant; jungunt, tenent.
Quid multa? multi vix tegunt, pauci haud valent.

Sub. Fla. Agite; quod unus non agat, plures agent.
Illi una cervix, pluribus plures manus.
Cæso tyranno grntior nulla hostia:
Sanguine tyranni suavior nullus liquor.
Expediet ipsa res reliqua: cæptum velim.

Ant. Nat. Vos Piso spectat, ut locum & tempus rei
Aptum legatis: idque jam præsens rogat.

Piso cum suis advenit.

C. Piſo. Pla. Lateranus. Fl. Scevinus. Sub. Flavius. Ant. Nat. Sulp. Aſper. Epicharis. alii. 1.6.

C. Piſo. Non eſt quod addam de fide veſtrâ viri
Fortes, fideles: bona, mala, en vobis, mihi
Eadem, ab eodem: quod decet amicos, idem
Nolumus, idemque volumus; hinc ſeſe offerunt
Gratia, poteſtas, fama, libertas, opes:
Illinc egeſtas, judicia, mortes, metus.
Quàm verba, ſuadent illa, & hæc terrent magis.
Periclitari per decus præſtat necem,
Quàm depilatos vivere, emunctos mori.
Niſi anima miſera quid manet! & illa in metu!
Illa igitur aliquid audeat; & animam trahat
Hoſti Neroni. Vos legite tempus, locum.

Pla. Lat. Non differendum tempus, ubi notũ eſt ſceleſtis.
Tua villa, Piſo, eſt aptus ad cædẽ locus: *Tacit. 15.*
Cæſar ibi crebrò balneas, epulas init, *Macch. ib.*
Securus hoſpes, mittit excubias, ſuam
Molem reponit: ponat & vitam ſacer.

C. Piſo. Id hoſpitalis Jupiter ſacrum vetet,
Id Dii penates, polluam ut menſæ ſacra.
Syllanus & Veſtinus hinc crimen ſtruent,
Meque antevertent: meliùs ad cauſam meam,
In urbe, in illa civium ſpoliis domo
Extructa, in alta luce, vel in ipſo foro,
Facietis, id quod publicæ fiet rei.

Sub. Flav. Cædendus alios inter? in ſcena canens
Cædatur; at ſi ſolus, incenſâ domo
Dum nocte profugus curſat huc illuc: jubet
Decus inter alios aggredi, ſolum ſalus.

Fla. Sce. Imò ubi frequentat Cæſar, in Circo Ceres
Celebranda ludis, aditus hic promptus patet;
Lateranus, acſi ſubſidia rebus ſuis
Precetur, advolutus, incautum premat,

Pro-

Prosternat, animi validus & membris valens.
Sic impeditum, quisquis audebit, premat,
Feriat, trucidet: postulat primos sibi
Pugio hic Salutis tractus e tēplo, sacer *nudat pugio.*
Magni operis: istū Cæsaris tinget cruor. *nem Scevin.*
Ant. Nat. Primis secundas, tertias, quis non feret?
Tyrannicidis, Repete, Cajanis fuit
In ore; nobis an Salus, an sit Fides?
An quisque dicat æmulis gladiis, Feri?
Sulp. Asp. Imò imò, feriat quisque, sed dicat nihil.
Prodit, & hoc ipsum dicere, perire impedit.
Ubi Piso? *Pis.* In æde Cereris opperiar: necem
Post absolutam Rufus accersat, ferat
In castra, vulgi ac militum ut major favor,
Antoniamq; Claudii comitem volo. *Exit Piso cum*
Ite, ite fortes; ite fœlices: *Scev.* Vale *Lateran. cæt.*
Brevi Imperator, Cæsar. *Flav.* Aut nullus brevi.
Epicharis. Sub: Flavius. Sulp. Asper. Scevinus.
Epich. Breve, breve tempus, ô viri, siquidem viri,
Capiatis in re tam gravi: spes ac metus
Mittantur: agite, quod agitis: lentum incitet
Res ipsa; timidum, quòd vir est; omnes, fides.
Ego, quia Cæsar læte lætatur mari,
Quosdam illigabo ex classe primores duces. *Exit E-*
Ut potero (& aliquā potero) suppetias ferā. *picharis.*
Sulp. Asper. Mirum putabo, in dispari si par fides
Ætate, sexu, genere, fortunâ, ordine,
Inter mulieres, milites, equites, Patres. *exeunt Asp.*
Scevine, tu memineris, ut primas feras. *& Flavius.*

Scevinus. Milichus libertus. I. 7.

Scev. Meminero, Miliche: quàm te amem, nosti!
Mi. Scio. *Sc.* Libertus ex me! *Mi.* Scio. *Sc.* Patronus
Ego! *Mil* Scio. *Scev.* Debere mihi te. *Mil.* Me scio.
Scev. Quid nunc agam, scis? *Mil.* Scire potero.
Scev. Tibi fides! *Mil.* In te fides.

Scev.

Scev. Teſtatus ut ſim ſcis! *Mil.* Scio: cautum decet.
Sce. Effer libellos. Primus ego feriam? negat *Exit*
Mens diſſoluta, languida, & ſomno ſtupens *Mil.*
Vita: minùs igitùr fama ſuſpectum ferat.
Talis Caligulæ Chærea; & talis fuit
Brutus Superbo: jam ſatis virtus dia
Celata: fallam nomen; audebo: at redit *redit cum*
Milichus: ſigillũ appono: jam cautũ ſatis. *teſtamen-*
Si charus aliquis ſervus, hunc mitto manu: *ti tabulis.*
Sit nummus aliis: me manent lautæ dapes.
Pugio iſte, Miliche, præ vetuſtate eſt hebes: *Pugionem*
Saxo aſperetur, clarus abdeſcat mucro. *tradet.*
Cerota, Miliche, & ſtyptica, ut par eſt, quibus
Vulnera ligantur, ſanguis inhibetur, para.
Craſtinus ut ut erit, lætus hunc ſumã diem. *Exit Sce.*
Mil. Solus. Ab ore lætus, mœſtus ex animo magis.
Quid iſta vult lætitia? ſermones vagi?
Pugio acuendus? tabula ſignata? & dapes?
Et dona? mox fomenta vulneribus? quid eſt?
An aliquis illum? an ille nunc aliquem ferit?
Ferit ille: ſed quem? Cæſarem: ſic eſt: ſcelus
Tantum ille? faciet: ego ſcelus celo? fides
Minor in patronum, in Principem major decet.
Quàm fidei ab illo, perfidiæ ab iſto meæ
Majora referam præmia: & fas, & fides,
Menſque à patrono liberum cedat memor.
An prodam, an abdam, conſulam uxorem meam.

ACT. 5. SCE. 4. 2. 1.

Voluſius Proculus. Epicharis.

Voluſ. Proc. Certum eſt Epichari; merita ſic penſat
Miniſter ipſe cædis haud minimus fui (Nero.
Maternæ; ab illo præmium nullum tuli,
Neglectus inde: nec leve auxilium tamen

In

In classe; at illi occasio, crebro hospiti
Quæ prosit obsit, crebra: nec potero nihil
Chiliarchus; ero nec solus: at si quid queo,
Non vana posthac in solo sterili seram.
Sed id uram, & alio transferam cultus meos.
Quercum amputabo, vitis ut vigeat ferox.
Pic. Sic sic agendum mi Procule: tandem sapis.
Exosum amare quis furor? quantus dolor
Servire gratum principi ingrato? fidem
Servare, matri & conjugi infido suæ?
Quid scelus hoc, illud? ex scelere totus Nero.
At scelerum (ut æquum est, nec diu est) pœnas dabit.
Equites, Patresque destruere sævus cupit:
Equites at illum destruent, plectent Patres.
Tu modò quod audes, aude; & adjunctos pares
Accende; ne te præveniat aliquis, citò
Te accinge: pretia non levia merito feres. *Exit E-*
Mihi cõcitanda est pluriũ & mens, & manus. *picha.*
Procul. Quid agis Volusi? prodis? an celas scelus?
Ingratus ille; fateor: at Princeps mihi:
Princeps colendus: ficcine? ingratum colam?
At gratus esse poterit, ubi meritis meis.
Et istud addam, crimen ut prodam: putat
Infensum Epicharis falsa: proditio sed hæc
Placabit animum, ad præmia effringet viam.
Natum, patri, me Principi irasci nefas:
Quasi manus aut cor, aut caput feriat suum
Amor Epicharitis, aut odia plebis, Patrum,
Tantine, Proculum ut conscium ad cædem trahant
Principis? an ut agat, quod neget fas & fides?
Quodque antè, retrò, & undique periclis patet?
Periculosæ hoc aleæ plenum est opus.
Audisse tantum sit nefas magnum nefas,
Celare majus; agere sit triplex nefas.
Nimiumque vereor conscius cælo diu.

Volus.

Volus. Proculus. Nero. Epicharis. Flavius. Epaphroditus.

Adeo exeuntem Cæsarem. O Cæsar, tua
De cæde conjuratur. *Ner.* Ubi? quando? quibus?
Quis cædis index? *Pro.* Ego. *Ner.* Video: sed quis tibi?
Pro. Epicharis. *Ne.* Illam attrahite: confessa est tibi?
Pro. Imò author esse voluit. *Ner.* Ut tu me neces?
Proculus. Ego. *Nero.* Solus? *Attrahitur*
Pro. Imò pluribus sociis. *Ner.* Quibus? *Epicharis.*
Pro. Id ipsa dicet. *Ner.* Argue. *Pro.* Volebas necem
Cæsaris Epichari. *Epic.* Nolui. *Pro.* Testor Jovem.
Ep. Jovē & ego testor. *Pro.* Crimē agnoscas. *Ep.* Ne-
Pro. Negare si sufficiat, an quisquam nocens? (go.
Epich. Culpare si sufficiat, an quisquam innocens?
Proc. Fatere. *Epi.* Falsa? *Proc.* Militi siqua est fides.
Epi. Siqua est mulieri. *Ner.* Vix aliqua utrivis fides.
Epich. Si vera criminetur, apponat modum,
Causam addat, homines & πορισάσεις notet,
Signa, loca, dicta, conscios, testes citet. (arbiter
Pro. Testis ego. *Epi.* Et actor? *Ner.* Malè probas: nemo
Adfuit? ut egit? *Proc.* Sola cum solo. *Ner.* Cadis.
Quæ causa? *Epi.* Nulla: nec boni spes, nec mali
Metus; nec animus ergo. *Ner.* Quàm fidens rea?
Epic. Decet esse fortem tam bonâ causâ ream.
Voluine? ut ausa? an ausa? qui potui? negat
Audere, velle, posse, causa, ætas, genus.
Pro. At odia dixit. *Epi.* Genita quo probro meò?
Pro. Publica. *Ep.* Quid ad me? *Ne.* Publicæ pars es rei.
Ep. Privata mulier. *Ne.* Practica. *Ep.* In frugē meam.
N. At dixit alios Procule. *E.* Quos? *P.* Equites, Patres.
Epic. Patribus, Equitibus conscia an mulier? quibus?
Nomina citentur. *Pro.* Nomina tacebas. *Epi.* Reos
Tacere volui? nolui rem tam gravem?
Ner. Ipsum incitabas. *Epi.* Ipse fateatur sua:
Nihil ego fateor. *Ner.* Ille, nisi verè es rea,

Cur

Cur innocentem deferat? *Epi.* Ut hoc ſe tibi
Inſinuet, aures cum patent culpis tuæ.
Procul. Si vir ſit illa! *Epic.* Non ſubornaret ream,
Ut tu, mulierem. *Proc.* Non pudet? *Epi.* Pudeat tui.
Procul. Quâ fronte? *Epi.* Firmâ.
Procul. Quo ore? *Epi.* Veridico: ſcias
Plus in muliere, quàm viro. *Procul.* Ingenii ſcio:
Nego, veritatis. *Epic.* Vera, dum falſam probes.
Nero: Quæ nunciantur, teſtibus, cauſis, notis
Utcunque non probantur, haud falſa auguror:
Incarceratæ Sophroni verum extrahe,
Quod vincta, torta, toſta, laniata indicet.
Epicharis. Et innocens damnata, non fallam fidem.
Tigel. Damnanda potius innocens, quàm non nocens
Examinanda; regis ubi petitur caput. *trahitur*
Ne. Nunc otioſtas advoco, ſagaces canes; *Epichar.*
Speculentur undiquaque, odorentur ſtatim, *à Tigell.*
Quid his, quid illis, ore, vel mente hæreat.
Odere me, quos odi, & Equites, & Patres:
Timeor, & illos timeo: nec in iſto nihil:
Nec fama temerè naſcitur: in omnes domos,
Fora, rura volitet miles; inſideat mare,
Mœnia: frequenſque muniat noſtrum latus
Germanus; illi, ut extero, major fides.

Nero dum conſultat, Milichus. Uxor Milichi. mox Scevinus. 2.3.

Uxor Milichi. Timenda multa: ſi taces, totus peris.
Videre & alii; ſi ſiles unus, nihil
Proderit: at unus ſi refers, unum penes
Præmia futura, primus ubi prodis ſcelus.
Defer; nec ultra differ: aut refer, aut peri.
Milichus. Addubito: ſed agam: nec mora.
Epaph. Quid iſtas fores Plebeic?

Milich. Nón plebeia, ſed magna affero.
Ner. Quæ res? *Mil.* Initur in tuam, ô Cæſar, necem
Pactio. *Ner.* Quis illam? *Mil.* Nempe patronus meus
Scevinus. *Ne.* Accerſatur. *Mil.* En telũ mihi *Trahitur*
Cæſar acuendũ, te ut feriat: hunc in ſcopũ *Scevinus*
Tabulas ſigillo ſepſit; & ſervos manu *ut audiat.*
Miſit; deditque nummulos; lautas dapes
Ingeſſit; & fomenta vulneribus ſuis
Parare juſſit; iſta nec, opinor, neget.
Ner. Quid ad iſta tu Scevine? *Sce.* Non ſolum actio,
Sed eſt prohibita quæſtio in domini caput.
Ner. Emancipatus iſte! *Scev.* Libertus meus.
Ner. Quia liber, actor ſufficit: de re indica.
Scev. Ferrum, quod affert, religio coluit mea,
Habitum in cubiculo, fraude liberti mali
Surreptum: & à me tabula ſignata in dies
Non præſtitutos ſæpiùs: ſervis meis,
Nunc largiora dona, libertas data,
Quia creditor nunc inſtat, alienum æs grave,
Solvendo nec erit tabula: mihi ſemper dapes
Opiparæ, amæna vita, quam Cenſor gravis
Parum probârit; tantum abeſt, ſtudeam novis.
Emplaſtra juſſu nulla vulneribus meo.
Vana ſceleratus objicit, & index venit,
Et teſtis idem, crimen ut falſum ereet.
Sic innocentes prodere patronos licet?
Ner. Secura vox, & vultus intrepidus reo:
Labaſcit index: quid rear? quidni arguis?
Milich. Niſi iſta vincant, neſcio quid ultrà afferam.
Uxor Milich. Natalis intrò, & ille ſecretò, diu
Sunt collocuti, utriuſque Piſoni intimi.
Ner. Bene monet illa: niſi rei, dicent idem.
Natalis adſit. Interim verè refer,
Quid collocuti? *Sce.* Fabula in ſcena nova *Attrahitur*
Recitanda quæ ſit. *Ne.* Fabulas narras: adeſt *Natalis.*
Natalis:

Natalis: illum Rufe diversum roga.
Sen. Ruf. Scevinus, & tu, serò, soli, diu,
Quid collocuti? *Nat.* Quid? *Ruf.* Quid?
Nat. Ut memini. *Ruf.* Hæsitas? quid verba quæris?
Nat. Nimis atrox urges. *Ruf.* Age,
Atrociorem nisi velis. *Nat.* Non est opus.
Sen. Ruf. Non est, fatente conscio, ut celes opus.
Confessus ille est. *Nat.* Et quid? *Ruf.* Et quid, tu vide.
Quid tu? *Nat.* Quod ille. *Ruf.* Ludis: at ludens lues,
Nisi proloquare protinùs, quid vos? *Nat.* Puto,
Quid in Senatu proximè est actũ: puto *Flavio gladiũ*
De Corbulone, deque prodigiis novis, *distringenti,*
Deq; ædificiis diruræ Romæ. *Ne.* Tace. *Rufus ma-*
Hic de Senatu, at ille de scena refert. *numvetinet.*
Uterq; captus. *Ruf.* Non adhuc Flavi. *Ner.* Quid hoc?
Se. Ruf. Nisi confitentẽ ne trucidaret reũ. *Tac. 15.*
Ne. Utrũq; vinctã potiùs, ut socios notet, *Rapiuntur*
In quæstionem trahite, torquete, urite. *Scevi. &*
Quid nũc Epicharis? illa quid tãdẽ indicat? *Nat. ab E-*
Impar dolori fœminæ corpus putem. *paphrodi-*
Tig. At non imbellã fœminã experti parẽ *to & Ru-*
Cui non labori! me fatigavit, scio, *fo.*
Tormenta, tortoresque: torquemus magis, *Ingressus*
Ne spernerem ur fœminæ: at spernit magis *Tigellinus.*
Fœmina: nec ignes, nec cruces, nec verbera,
Nec vulnera horret; dicta negat; acta abnegat.
Mihi torqueantur ratio quo flectat, viri. *Affertur*
Fœmina, negârit si semel, semper neget. *Epicharis*
Ne. Tã pertinacẽ aspicere fœmellã juvat. *gestata in*
Hæc efferatur. *Tigel.* Fumus efferri putes. *sella, vin-*
Ep. Natura quò recessit? ubi pietas habet? *cta, torta.*
Nullas in hominibus aniant humanas: lupi,
Tygres, dracones, viperæ, qui olim viri.
Quænam hæc gehenna? morte quæ pejor mora
Mortis? Acherontis urna, rota, saxum, fames,

Tormenta Sìcula sunt levia præ istis mala.
Si longa, levia; brevia, si gravia: at mea
Nec fine posito, nec modo: ô liceat mori.
Tigel. Mori liceret, nisi mori expeteres: scelus
Libeat fateri. *Epich.* Nec scelus adhæsit mihi:
Sed gravius omni scelere. *Tig.* Quid? *Epic.* Feritas tua.
Tig. At nisi fateris. *Ep.* Quid? *Tig.* Ferum dices magis.
Epi. Magis esse dico, quàm ferâ quamvis. *Tig.* Age.
Repetantur ergo verbera. *Vinclo fa-*
Epicharis. Ut prodam nihil. *scie in mo-*
T. Quia nil pudere perstat, age, pelle trahe *dū laqueī*
Scorti impudentis ore. *E.* Nil prodā tamen. *ad arcum*
Ti. Prodes coacta. *Ep.* Liberæ potiùs mori *sellæ vestri-*
Lubet. *T.* Lubēti nō licet. *E.* Morior; vide: ah. *cto, iudit*
Tig. Ut tenuis anima fascia expirat levi? *cervicem,*
Ne. Sibi strāgulatā auferte: sic hostes eāt. *& corporis*
Sub. Fl. Cōstans virago, tā fide firmā viri *robore cū-*
Si perstitissent, fraude perüsset Nero. *nisa, spiri-*
Ne Sic illa libertina: quid tandem viri? *tum expri-*
E. Natalis, ignes ut videt, & uncos truces, *mit.*
Non fert: fateri malit: at soli tibi. *effertur à*
A. N. Ignosce Cæsar; fateor, (ô ne sit malo *Flavio &*
Primum fateri) particeps semper fui *Aspero*
Pisoni ad ejus omne secretum: favor *mox rede-*
Multorum in illū simul & adjunxit meum. *untibus.*
Illi voluimus imperia, cædem tibi. *redit Ruf.*
Primus, sed tē qui palàm in Circo premat, *& Epaph.*
Lateranus: & qui feriat, is primus fuit *cū Natali.*
Scevinus: alii ut cœpta sequerentur, fides. *Nymph.*
Ne. Cæsaris is amor est? ea Senatorū fides? *Sabin. ad*
Sabine, duce te, tyro Pisonem premat, *Pisonem.*
Premat inopinum, cui favet miles vetus. *Stat. Pro-*
Statio tribuno tam trucidētur citò *ximus ad*
Lateranus, ut nec liberos tangat priùs. *Laterā &*
Sed quis meorum ex classe Pisoni favet? *Epaphrod.*

Aur.

Ant. Nat. Missus ego ab illo, qui salutarem domi
Senecam, & amico colloquia peterem viro.
Colloquia neutri Seneca respondit fore *reducitur*
Commoda; saluti at illius niti suam. *Scevinus.*
Tig. Nonne admonueram quàm Seneca fidus, bonus?
N. Poppæa; an audis Seneca quoq; nomẽ dedit. *Pop.*
Pop. Credamne? merito tam bene, reponit male *evo-*
Tã bonus: hoc urge. *N.* Ad ista, quæ audisti Grani, *cat.*
Responsa, dicta, Seneca quid dicat, refer. *Granius ad*
Scevinus at nunc conscium num se negat? *Senecam.*
Fl. Scev. Negare nunc non proderit: quid non patet?
Non nego. *Ner.* Sed alii conscii qui sint, refer.
Fl. Scev. Lucanus. *Ner.* Ille, an æmulus laudis meæ?
Quos jactitabat ille, quia versus premo.
Fl. Scev. Et Quinctianus. *Ne.* Corpore infamis suo,
Versu meo famosus ulcisci studet.
Flavius Scevinus. Senecio.
Ner. Amicus odia concepit meus; *ad illos Tri-*
Credo, quia solus nõ erat, summus comes. *buni tres cũ*
Illis Tribuni, tres tribus, primo inferant *Epap.*
Minas, ut edãt cõscios, sed mox necẽ. *Redit Granius.*
Gran. Silva. Missum esse dicit Seneca Natalem, sibi
Aditu prohibitum; quia quies cordi: at salus,
Quàm sua, sit illi chara privati magis,
Nec causa, nec, quo dicat ingenium sibi
Ad blandiendum est facile: quod nulli magis *Redeunt*
Innotuisse, quàm tibi, qui sis eum *Flav. &*
Expertus utique liberum, haud servum tibi. *Asp.*
Ner. Et ista nimium libere: at num non parat,
Ut sponte pereat? *Gran.* Verba, seu vultum notem,
Nil deprehendi triste, pavidi index nihil.
Pop. At nequid aliud paret atrox, istud paret.
Ne. Redi Tribune; à Cæsare indicas necẽ. *divertit*
Gran. Sil. Cædamne Senecam Rufe? *ad Ruf.*
Ruf. Parendum. *Ner.* Quid est? *secretò.*

Quid Granius? *Ruf.* Ipse an cædat; an cedat suæ
De genere necis ut Seneca delectum ferat.
Ne. Modo moriatur, sibi modũ mortis legat. *Granius*
Sic esse clemens soleo. Sed plures reos *ad Sene-*
Scevinus addat. Rufe, quot plures, roga. *cam.*
Fen. Rufus. Age, plura prode capita, ne perdas tuum.
Fl. Sce. Quis plura, quàm tu, cũ sciat nemo, efferat?
Vicem ergo jam tu Principi reddas bono.
Tig. Ha! Rufe! *Ner.* Rufe, tu quoq; Neroni necem?
Fen. Ruf. Quid loquar? ad ista, nec mihi promptũ lo-
Sed nec tacere. *Ner.* Scilicet pudor est loqui; (qui,
Pavor silere; utrũq; premit animus reus. *Cassius miles*
Cassi, igitur illũ corripe, & vinci arctiùs: *Rufum vin-*
Vallũ extra, ut ordo est, ense cervicẽ feri. *cit. rapit.*
Ant. Nat. Sed & inter alios Flavius nomen dedit.
Sub. Flav. Ego inter illos? miles ut inermes legam,
Effœminatos vir mihi socios velim,
Tanto in facinore? *Scev.* Ne nega. *Fl.* Audenter nego:
Adeoque. *Ner.* Frustrà sed negas. *Fla.* Age, non nego.
Gloria fatendi grata. *Ner.* Quæ causa, aut tibi
Gloria, salutis post sacramentum meæ
Tibi charioris, quàm tuæ, ut fallas fidem? (nus,
Sub. Fl. Quia te odi: at olim, dum meritus, & dũ bo-
Præ omnibus amavi; nemo tibi fidus magis.
Odisse cœpi, conjugis, matris tuæ
Cum parricida, auriga, citharœdus, gravis
Incendiorum accensor, at cantor levis.
Ner. In pactione hâc gravius accepi nihil,
Quàm, audire laudes solitus, ut probra audiam.
Siccine perimere principem, & lingua, & manu,
Voluistis? heu quod una mors tantis probris
Pœna, & quiescat morte pœnarum mora.
Verùm age, Tribuno Flavio tollas Niger
Tribune caput: honoris hoc hosti dabo. (cet!
Veianius Ni. Tendes Tribune fortiter collum, ut de-

Sub.

Sub.Fl. Tam fortis utinam fortiter ferias Niger,
Ant. Nat. Sulpicius Asper astat; at socius fuit.
Ner. Cur ut aper Asper in meam cædem ruis?
Sulp. Asp. Quia, nisi cæde, fit tibi mederi nefas.
Ner. Centurio medicus non placet: quámq; asperũ
Secare, doceat, qui tibi collum secet. *rapitur Asper.*
An.Na. Et Scaurus isti, & Paulus; & Granius fuit,
Statiusque socius Flavio. *Ner.* Ergo illos manent
Supplicia; at istos venia, si veniam velint:
Quia ille Senecam, at iste Lateranum ferit.
Ep. Diu abnuère; cõ scios tandẽ tamẽ, *Redit Epa.*
Impunitatis spe datâ, sese efferunt *cũ Tribunis.*
Senecio, Quinctianus; & amicos suos,
Is Pollionem prodit, hic Gallum, intimos.
Lucanus addit consciam matrem sibi.
Pop. Clarior Epicharis, & suos, & se silens. *Iidem eadẽ ruent.*
Ner. Illi ergo pereant: exilia amicis suis
Peperere: pereat morte Scevinus pari. *rapitur*
Natalis eat impunis: at Milichus mihi *Scevinus.*
Supra feratur. Vindici hic pugio Jovi *Tac.an.l.15.f.*
Sacretur. At Vestinus an Consul nihil?
Ant. Nat. Quod scire potui; nihil.
Nero. At addi aliquid velim:
Acris memoria mihi remanet, ut me suis
Verè facetus luserit amaris jocis.
Pop. Et uxor illi Statilia, cui tu, Nero,
Sæpius adulter, quàm fides in me sinat.
Ner. Ergo Gerelane Consulem inopinum opprimet?
Præi quod ille fecit, aut faciet scelus: *Exit Ge-*
Veia.Nig. Ut cæderetur Flavius jussu tuo, *rel. Trib.*
Vicino in agro ut effodi jussi scrobem, *ad Vestí-*
Illũ ille ut humilẽ ridet, angustũ increpat; *num: redit Veian.*
Ex disciplina non ait fossum: putes
Illum imperare: mox tamen cæsus cadit, *Niger à*
Vel scsquiplaga: sic tuos hostes neco. *Flavio.*

Ner. Sic decet: & alios quærite ô ſocii reos?
Quos ſermo, nutus, lætitia, mœror, metus,
Vel ſigna quævis levia ſuſpectos dabunt;
Arguite, rapite, trahite: convicti rei
Ita moriantur, ſentiant ut ſe mori:
Plus pœnæ ut habeat, quàm mori, mortis mora.
Decora triumphi tibi Tigelline apparo:
Tu me tuere, tutus ut ludis vacem. *Exeunt omnes.*

ACT. 5. SCE. 5. 2.4.

C. Piſo. Martius Feſtus eques.

Mart. Feſtus. Neſcire Piſo non potes ſciri omnia.
Dum Cæſar audit, ſi quid audendo vales,
In Caſtra perge; militum, populi, Patrũ *Tac. an. l. 15*
Studia, arma tentes: conſcii ſi ſe tibi
Jungant, ſequentur integrĩ: motæ rei
Permagna fama plurimum In rebus novis
Valebit: iſtis ut reluctetur Nero,
Nihil egit: his terrentur & fortes viri;
Nedum arma moveat ſcenicus; cui cum ſuis
Pellicibus excors ſit Tigellinus comes.
Tentando fiunt multa, quæ viſa ardua
Segnibus, inauſis. Vana ſpes, veram fidem,
Taciturnitatem conſciis in tot fore.
Cuncta cruciatu aut præmio præbent viam.
Ergo age, quod in te, profer: aut culmen tibi,
Aut præcipitium nunc adeſt: medium nihil
Summa cupienti: media ſi ſequeris, cadis:
Satis nec audes, nec vides: nullus patet
Cunctationi locus, ubi quod agitur ſuam,
Non niſi peractum, laudem habet: venient, vide,
Qui te latentem vinciant, plectant, necent.
Ergo pereundum ſi ſit, ad honorem peri;

Dum

Dum tendis arctos publicæ amplexus reî,
Auxilia, ut hæc sit libera, ferenda invocas:
Dum miles & plebs deserit te, se, magis,
Quàm tu vel illos, vel tua; & dum tu tuis
Avis, adeoque posteris mortem approbas.
C. Piso. Via jam salutis nulla; nisi sola est salus
Sperare nullam: nulla virtuti est fuga:
Vix spes honestæ mortis: hunc portum velim:
Non, destitutus remige & velo, novos
Tentare fluctus, & procellosum mare.
Incensa postquam Troia, fugerunt Dei,
Quid arma sumat Priamus, ante aras Deûm
Mactandus? aliquis Cæsarem infensum fugit?
Si moveo, nec me tueor, & socios traho.
Si cedo, solus pereo: sic solus cadam.
Sociare clades non libet: potiùs precer, *Auditus mili-*
Sit siqua pietas, parcat uxori meæ. *tũ tumultus.*
Hoc peto. Sed audi: militum advenit manus.
Abrumpo venas. Cæsarem hic placet liquor.
Exit abruptis venis.

ACT. 5. SCE. 6. 2.5.

Seneca. Centurio. Paulina. Stat. Annæus. Jun. Gallio. Nov. Priscus. Lucilius.

Sen. Necessitatem nuncias ergo ultimam! *Tac. an.*
Intrepidus adeo: tabula, quâ tester, priùs *l. 15.*
Cedatur. *Cent.* Illam, Cæsaris jussu, nego.
Sen. Referre amicis gratiam haud igitur licet.
Unum quod habeo, quodque mihi summum decus,
Imaginem relinquo vivendi meam.
Qui memor, ut acta est artibus semper bonis *conver-*
Mihi vita, famam firmæ amicitiæ feret. *sus ad a-*
Annæe medice, Gallio frater, quid est? *micos.*
Quid Prisce, quid Lucili amicorum optimi?

Quid corde gemitus, ore tot lachrymæ fluunt?
Ubi tot per annos ratio meditata, insita,
Contra imminentes turbines? ubi tot meæ
Præcepta sunt prudentiæ? an quenquam ferox
Latuit Neronis sævitia? supereſt nihil
Parente, fratre, conjuge occisis, nisi
Docentis, educantis ut cumulet necem.
Amplexa sed me magna pars animæ meæ, *ad Paulinam.*
Paulina, quàm me mollit aspectus tuus?
Nisi te dolentem munit affectus meus?
Te rogo, dolori tempera: in turpes eat
Querela: facies flendo deformem necem.
Pau. Num potero Seneca? Seneca num potero tuam
Mulier, & uxor, non queri mortem, meam
Miseriam? an, ut amem, te patiar à me rapi?
Non esse misera potero, si tu sis miser?
Non flere, cum sim misera, cum tu sis miser?
O semper utinam quâ fleam, in fontem fluam.
Seneca. Mœrere duret degener, fortis mori.
Mœror mulierem si deceat, at non decet
Mœrere Senecæ conjugem: in sexu tuo *Lucan. l. 5. f.*
Materia laudis unica est conjux miser.
Fœlicem amasti, nunc ama, quòd sum miser.
Nec miser: at aditus non recessuræ patet
Fœlicitati: spirat animus æternum: dies
Vitæ prioris ultimus, primus novæ.
Natalis hic est vitæ inextinctæ dies.
Sic vita mortem sequitur, ut vitam mori:
Et vita melior, quam nec eripiat Nero.
Non flentem iniquum est flere: nil Senecæ novum,
Cui vita stadium mortis, an studium fuit.
Abstergit ille lachrymas, qui non fleat:
Indignus ille lachrymis qui se fleat.
Tu chara conjux, memor, ut in vitâ mihi
Virtus præierit, charior vitâ mihi,

Desidera-

Desideratum conjugem, ut par est, feras,
Viduos honestâ mente solando lares.
Hoc solo amara mors dolet, siquâ dolet,
Quòd rapit amatæ conjugis amatum virum.
Paul. An ergo sine te, mi Seneca, vivam tua?
An ergo sine me, Seneca, morieris meus?
An fœdus id pepigimus? an nullum mihi
Cor, quia mulieri? monita sic memini tua?
Hoc vita solo placuit, ex quo uxor tua,
Quòd tibi placebam: nulla fim, ni sim tua.
Tecum volebam vivere, & tecum mori.
Sic destinatum est, una mors perimet duos.
Mecum potes perire, sine me non potes.
Percussor, in me prima figatur manus.
Uterque meriti pariter: ego tantas opes,
Quibus inhiatur, jure retinebo meo,
Si sim superstes, longiùs: age ergo, feri. *Martial. l. 1. ep. 43.*
Portia peribit igne, si ferrum negas.
Seneca. O mira virtus fœminæ: an laudi tuæ
Seneca resistat: an sibi adamatam unicè
Injuriis relinquat expositam feris?
Monui ego, vitam quæ juvent: mortis decus
Mavis; ut inde bona feras, vites mala.
Non invidebo tam bono exemplo: præi.
Sit penes utrosque par animus isto exitu,
Sed claritudo major in letho tuo.
Paul. Ergo ictus idem solvat utriq; illicò *Paulinæ brachia ferro exsolvuntur.*
Venas eadem: ah: quid tibi, ah Seneca?
Seneca. An dolet Paulina?
Paul. Seneca, non dolet vulnus meum,
Sed vulnus illud, quod premet Senecam, dolet.
Mihi magis exit, quàm meus, sanguis tuus: *Sen. venæ secantur.*
Et versat animas sanguis idem unâ duas.
Sen. Natura quàm me frangis, invitum quoque? ah.
Quàm vel philosophum? ah. Mors, ut absentem sui

Te-

Te deſpicatus? appropinquantem horreo?
Tumidus ſereno nauta, timidus cum tonat?
Philoſophus homine major, ægrè hominem exuit.
Majora hominibus dicimus; at homines ſumus.
Senile corpus, tenue deductis cibis,
Effugia lenta ſanguini præbet meo.
Euge cruciatus, te malum ut fatear, facis.
Paul. Ah ne fatere. *Sen.* Sentio. *Paul.* At ſenſus ma-
Rerum æſtimator, mollis, & blandus ſibi. (lus
Gladiator ullus fortiùs, quàm tu, cadet?
Conſta, nec arma projice, nec alto gradu
Dejicere: morere, quâ decet Senecam mori.
Effugium hoc habeas à malis. *Sen.* Sed per mala.
Paul. Per amara, dicas; quibus & accipitur ſalus.
Jam mihi videmur victimæ ante aras ſacræ,
Ut taurus & juvenca ſe ferro induant;
Cædamur, & cadamus, ut par eſt, piæ,
Placidæ, innocentes, ſupplices, gratæ Deo.
Piaculum ſit, ſi reluctetur mori
Devota morti victima, ut ſcelera expiet.
Si trahat eculeus, ſtrangulet laqueus, cremet
Flamma, grave ferrum membra membratim ſecet,
Quid Seneca faciat, ſi nimis mollis gemat,
Sanguine fluente molliter; ut optat, mori?
Virtute clarus ſi vir haud præſtet virum,
Mirumne, mulier mollior ſiquid labem?
Sen. Feſſus ferendo deficio: ſed ne dolor
Infringat animo te meus, vel me tuus;
Ne, morte in unâ gemina mors acſi premat,
Tormenta ſpecto dum tua, impatiens cadam,
Paulina, tu recede: ſed labris priùs
Ultimam ſupremum ſpiritum excipias tuis; *Abſcedit*
Saltem licebit dicere ſupremum Vale. *Paul. in*
Pau. Dicemus ambo Salve in Elyſiis agris. *cubiculũ.*
Sen. Quàm mulier, aliquid ſeu velit, ſeu non velit,
Addicta,

Addicta, cernit non minùs, conſtat magis!
Vix duce decorum, at comite ſit dulce hâc mori.
At vel volenti, ſed ſeni, ut lentum eſt mori?
Hemina, vel una, ſanguinis, ut ægrè fluit? *Sen. tranq.*
Annæe, quem dat ars medicũ, amicũ fides, *vit. c. 14.*
Age nunc venenum prome proviſum mihi: *Cicutæ poculum profert med.*
Quo cecidit olim Socrates, illo cadam;
Aut velut imago viva virtutis Cato: *ebibit Seneca.*
Aut qualis ævo Canius noſtro optimus.
Totũ hauriẽdũ! nẽpe, quia juſtus modus.
Inambulandum poſteà! hinc aderit ſalus: *Eraſ. Socr.*
Hinc gallus Æſculapio ſacrum cadat. *Apoph. 74.*
Migratio ſit fauſta, ſit fœlix mihi. *75.*
Quæ neſcienti eſt indita, hanc animam precor,
Natura repete; reddo tibi, gratus, libens. *Sen. ib. c. 11.*
Fruſtrà precamur: corpus occluſum, pori
Obſtructi, & artus frigidi impediunt iter.
Quid adhuc agendum eſt? *Paul.* Ah.
Sen. Quid eſt? periit mea *Paulina intus.*
Paulina? *Cleon.* Nondum periit; at cecidit ſuo
Defecta ſenſu; proximè à letho jacet.
Sen. Paulina venio: balneum ô præſens petam;
Quo liberanti ſanguinem libem Jovi. *balneo infertur.*
Gran. Silv. At quia Neroni haud juſſa Paulina eſt
Nec proprium odium Cæſaris in illam fuit, (mori,
Crudelitatis ne invidia gliſcat nimis,
Famuli cruorem premite, prohibete exitum:
Seu nolit illa, ſeu velit, vivat tamen;
Et ferat amoris pallida exangues notas.
Virtutis uno periit in Seneca ſatis.

Exeunt milites.

ACT.

Lucanus inciſis venis.

Lucanus. Lucane, nunc te collige ſolutus metu.
Unum illud, illud unicum (o ſuperi precor)
Abolete, matrem prodidi (o facinus) meam.
Tantum in viris cupido vivendi poteſt.
Spem fecit, & fetellit impuram impius.
At vita cum te deficit (vita heu brevis)
Tui memineris, memineris ſaltem tua. *Lucan. l.*
Reditura vita: huic parcere ignavum puta. 1.466.
Vulteius an te, tuve Vulteium doces?
Vita brevis nulli ſupereſt, qui tempus in illa *l.4 579.*
Quærendæ ſibi mortis habet: virtute merendum eſt, 613.
Cæſar ut amiſſis inter tot millia paucis
Hoc damnum clademque vocet: dent fata receſſum
Emittantque licet, vitare inſtantia nolim.
Vitturoſque Dei celant, ut vivere durent 620.
Fœlix eſſe mori.
Pompeius an te, tuve Pompeium doces?
Aut nihil eſt ſenſus animis à morte relictum, *l.3.39.*
Aut mors ipſa nihil.
Ignorant populi, ſi non in morte probâris *l.8.619.*
An ſcieris adverſa pati: ne cede pudori.
Sum tamen ô ſuperi, fœlix, nullique poteſtas 619.
Hoc auferre Deo: mutantur proſpera vitâ:
Non ſum morte miſer.
Denique Catonem tu doces, an te Cato?
Scire mori ſors prima viris, ſed proxima cœpit. *l.9.210.*
Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum. 403.
Ii mihi ſunt comites quos ipſa pericula ducent, 388.
Qui me teſte pati vel quæ triſtiſſima pulchrum
Romanumque putent.

Mihi

Mihi nempe ſcriptis à Styge ereptus Cato.
Advolat, atque ingens meritum majuſque ſalute 892.
Contulit in lethum vires; puduitque gementem
Illo teſte mori.
Scilicet, ut illi Tullus, ita cæſus cado;
Sanguis erant lachrymæ: quæcunq; foramina novit 817.
Humor, ab his largus manat cruor: omnia plenis
Membra fluunt venis, totum eſt pro vulnere corpus.
Brutive potius videor ut Lycidas mori:
Scinditur avulſus: nec, ſicut vulnere, ſanguis l.3.637.
Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis,
Diſcurſuſque animæ diverſa in membra meantis
Interceptus aquis. Plura non poſſum: exeo.

ACT. 5. SCE. 8. 3.24

Umbra Agrippinæ. Poppæa gravida. Nero è theatro. Tigellinus.

Um. Poppæa. *Pop.* Quis me? *Um.* Nero.
Ner. Quid eſt? *Pop.* Adſum. *Ner.* Exeo.
Pop. Quis turbat ægram? *Ner.* Quis theatrales jocos
Neronis interpellat? *Pop.* Ah tandem Nero *Suet. c.*
Defeſſus, eviratus, exuctus redis? 35. *Ta-*
Siccine dolores condis in corpus meum, *cit. ann.*
Gravidum, intumeſcens, per voluptatē tuā? *l.16.*
Tu me relictâ, vel theatrales jocos,
Vel ſequeris alias? Statilia forſan placet?
An illa me formoſior? an illa eſt tibi
Fertilior? an tu jam vagus amator ruis
In has & illas, ſine fide, cauſâ, modo?
Num forma periit mea mihi? ô peream priùs,
Quàm conſeneſcam, forma ne pereat mihi.
Hoc iſte fœtus meritus? hoc partus prior;
Ut mœchus alias pellices quæras levis?

Tibi

Tibi cæsa conjux, Mater occisa est tibi,
Poppæa ut esset, an potiùs aliis locus?
Poppæa famam fortè, fructum aliæ ferent.
At liquid ego sim, non ferent, næ non ferent,
Iratus amor, ut tumidus exundat dolor.
Jupiter, Jason, Hercules redeas meus:
Aut Juno tua, Medæa. *Ner.* Quid loqueris furens?
Audire decet hæc Cæsarem, hæc ullam loqui?
Apagè maledica. *Pop.* Eheu Nero. *ictu calcis*
Ner. Heu conjux, quid est? *prosternit.*
Pop. Perii? *Ner.* Ego perii; an perdidi te me simul!
Pop. Tu perdidisti spem, fidem, vitam tuam,
Cum prole matrem, in matre dum prolem necas.
Ut se orbet ullus tam ferox unquam lupus?
Ner. Levis ita nocuit ictus? *Pop.* Ad mortem gravis.
Nec nocuit, animam liberans domino malo.
Ner. Ita dolet? *Pop.* Imò nec mori: at per te mori.
Ner. Citò se dolor remittet. *Pop.* Ubi moriar, citò.
Ner. O vive mea Poppæa, mihi vive, ac tibi.
Pop. Tu me tyranne cædis? & vivã, jubes? *moritur*
Age, nolo, nequeo: sed Deus vindex tibi, ah. *Poppæa.*
Ner. Duratis oculi, duri, inhumani, truces,
Spectare? nec profluitis in lacrymas? an est
Dolor iste supra lacrymas; & sit stupor?
Verè illa dixit Herculem; & Megara occidit.
Egi furentem non furens; nisi sit furor
Brevis, ira: furor est ira: quid gravius furor?
O perseveret; pergat; Athamanta obruat.
Præstare poterit solus insontem furor.
Nescire nequeo: at nolui: at feci scelus.
Nec jussi, ut alia, scelus hoc: hoc scelus est meum:
Scelus execrandum: quodque qui feci, oderim:
Ut Phœbus odit se, manus, aures suas,
Quibus & Coronis periit, arcum, artes, avem.
Ergo illa periit? periit & in illa Venus,

Minerva,

Minerva, Juno, gratia, voluptas, amor?
Oculi occiderunt, ſydus extincti meum?
Et omne in illa lumen æternùm occidat.
Pes computreſcat iſte tantum auſus nefas.
Pes iſte, terra ſuſtines, ut te premat,
Qui preſſit illam? ô & pedem, & peditem vora.
Epa. Invicte Cæſar, Cæſarem invictum advoca:
Nec plus tibi velis quàm ferat quiſquam, mali.
Supra doloré exurge Nero fortis tuú; *Suet. Tib. c. 1. f.*
Sabina ſic te nomine Sabino monet. *Aul. Gel. noct.*
Eſt error iſte; non ſcelus: ſortis fuit, *At. l. 13. 22.*
Non mentis ictus: innocens mens, calx nocens,
Sponte perituræ: Conjugis, matris priùs
Necem tuliſti: perfer etiam hanc, ut ſoles.
Reparet ruinam conjugis conjux nova.
Stabilitæ nupta Antonia imperium poteſt, *Suet. c. 35.*
Geminatum ut affert Claudii nomen patris.
Poppæa, niſi quòd forma pro philtro fuit,
Sæva, impudica, indigna Cæſareo thoro. *Tac. an. 16.*
At & illi honores funeris juſtos para.
Ner. Age, experire, Antonia an noſtros velit
Thalamos inire; Auguſta nũ dici expetat. *Exit ad*
Auferte at iſtam; quà ipſe pro roſtris palàm *Ant. Epa.*
Altis in altos laudibus cœlos veham: *Tac. ib.*
Utpote decoris formam & effigiem optimam;
Utpote parentem infantulæ Divæ Deam.
Nec illam, ut alias, more Romano, lubet
Cremare: nec enim noſtra Vulcano Venus
Cedet; nec ignes ignis abſumet meos.
Sed more regum, placet odoriferis eam
Aromatis farcire; nec odorem tamen
Aromata ulla, quàm ipſa, tam ſuavem dabunt.
Arabia in illam conferet fœtum annuum. *Pli.*
Sic Juliorum teneat in tumulo locum.
Sed ut ut celeriùs lachryma areſcit nihil,

Poppæa

Poppæa tamen è mente non periit meâ.
Ideoque similem, quàm potest illi puer,
Sporum execari, & ducere uxorem volo. *Redit Epaphroditus ab Antonia.*
Pythagoræ, ut uxor, ipse me subdam meo.
Desideratas ambo supplebunt vices.
Epaphrodite, Antonia quid ad nos refert?
Epa. Inauspicatos illa, & incestos thoros *Suet. c. 35.*
Renuit Neronis: fratri adoptivo nefas,
Nubere sororem: conjugum homicidæ truci
Periculosum nubere: nec ergo sibi
Placere, nec licere quod tentas ait.
Ner. An vidua Syllæ, vidua Pompeii, thoros
Sic despicatur Cæsaris? video dolos.
Molitur illa res novas, nostram necem.
Pisoni esse voluit: age, thalamos petat
Pisonis; aut Plutonis age thalamos petat.
Quæ nostra nolit esse, sit nulla oppidò. *Exit idem ad eandem.*
Statilia nobis nota; nec, opinor, neget.
Sed Hydra num succisa Pisonis mihi
In me rebellat? ô manus nimium leves.
Agite ergo Caium Cassium, effigiem quia
Colit ille avitam, PARTIUM inscriptam DUCI,
Orbate patriâ, luminibus orbum prius: *Suet. c. 37.*
Opes vetustas arguite, mores graves.
Audere, & agere, nomine minatur suo.
Sillanus illi sit comes, juvenis seni. *Exeunt Centuriones ad necem.*
Et quia requirit Mella, Lucani pater,
Opulentus ut opes filii acquirat, suis
Exutus, habeat exitum haud dispar parem.
Tigelli. At eruditus ille luxuriæ Arbiter,
Elegantiarum nequam & obscænus pater,
An adhuc, quod ille molle, quod amænum putat,
Id molle solum Cæsar, id amænum putat?
Scevino amicus, conscias fraudes struens,
Ut servus illum detulit; an ergo prior,

Quia

Quia consularis? quia voluptatum sciens
Mihi præferetur æmulus Petronius?
Te prodis illi, ut ille te prodat malus? *exit cū-*
Ner. Se prodit imò, & perdit; & meritò perit *turio ad*
Qui amatus à Nerone magis alios amet. *Petroniū*
Cap.Cos. Soranus igitur Cæsarē, aut Thraseas amat?
Soranus Asiam dum regit, partes alit, *Tac. 16.*
Plauto, sibique conciliat ad spes novas:
Libertum inultum Pergamo per vim tuum
Patitur repelli; dum nimis Plauto favet.
At ista vetera: Servilia sed nunc patri
Conscia, timensque, magica sollicitat sacra,
Nummosque (vereor) dat Magis, qui te necent.
Isti Philosophus crimini testis Celer,
Stoicus, honestus pectore, Sorani cliens. *Suet.N.c.37.*
Ner. Quàm justus, ô tam Cæsarem Thraseas amet.
Cap.Cos. At ille in acta Cæsaris ad anni diem *Plut.*
Jurare primùm vitat, an potiùs negat! *polit.*
Nec pro salute suscipit votum tuâ, *prac.*
Quamvis sacerdos: nec tuæ voci sacræ *Tacit.*
Immolat ut alii: nec tulit matris tuæ *16.*
Audire causam, Curiâ egressus priùs.
Privata curat; publicis rarò vacat.
Secessionem infensus, & partes struit;
Adeoque bellum, si audeant plures idem.
Olim Catonem, & Cæsarem, imperii æmulos.
Thraseam & Neronem Roma nunc discors crepat.
Scriptis Catonem hic celebrat, & vitâ refert.
Est ipse, & ipsi est rigidus, austerus, procax
Sectator, an satelles, exprobrans tibi
Et ore & habitu perditum vitæ genus.
Uni incolumitas Cæsaris, & artes sacræ
Sine curâ, honore: prosperum si quid tibi,
Spernit; nec illi, si doles, quicquam dolet.
Ut ne ille credat esse Poppæam Deam,

Est animo eodem, quo recusâri fidem,
Divorum in acta Cæsarum ut juret lubens.
Sic ille ritus negligit, jura abrogat.
Potiora cernit ille? quin sequimur? docet
Nova, cupientes? tolle doctorem, ducem.
Ingrata secta publicæ semper rei,
Hæc Stoicorum: quibus, ut imperium auferant,
Præfertur ore pulchra libertas: tamen
Perdent & istam, quum illud abstulerint priùs.
Votis sacerdos, civis ut juret, probus
Senator adsit Curiæ, intueri nisi
Et proditorem Thrasea, sed & hostem, palam.
Singula faciliùs increpet præsens, feras,
Quàm damnet absens omnia infensus, silens.
Non exul (id enim publicis mœstus bonis
Ambit, minando patriæ exilium suum)
Sed ab urbe vitam exosus abrumpat suam,
Cujus & amorem, & cujus aspectum exuit.
Frustra abstuliſti Cassium, si nunc sinas
Gliscere, vigere, urgere Brutorum æmulos.

Ner. In patriâ at ipse publicis ludis suâ
Tragœdus egit: me, nec ut cythara canam,
Nec scenicè ut agam, audire dignatus ferat.
Nec audiatur ergo, nec post audiat.
Soranus ergo, & filia, & Thraseas cadant.
Resecare in illis capita virtutum lubet. *Exit Nero*
Sed ista fiant meliùs assensu Patrum. *cũ cæteris.*

ACT. 5. SCE. 10.

Petronius Arbiter cruentus. Pueri symphoniaci.

Petr. Arb. Ultrà timoris, aut spei, quorsum moræ?
Mala quãdo nec spẽ, nec metũ ulteriùs ferũt? *Tacit.*
Fortuna, Spes, valete: mihi portus patet. *an. 16.*
Aperio venas: his fluunt fontes Stygis.

Jubet

Jubet tyrannus Arbitrum (ò feritas) mori:
Moti immerentem Cæsar (ò monstrum) jubet.
Video necesse, ut jussit, intrà horam mori. *Suet. c. 37.*
Ut hora, ad horam è clepsydra stillans aqua;
Sanguis ità, vita ad sanguinem sensim effluit.
Sed ptiùs in istis ritè codicillis, nihil *Petr. Arbitri*
Blanditus illi, nec Tigillino (ut solent *Satyricon.*
Plerique morti sic dati) eleganti stylo,
Sub fœminarum, & exoletorum novis
Titulis, Neronis flagitia scripsi, & stupra:
Quæ Silia nimiùm conscia haud siluit mihi. *obsignat*
Hos ego Neroni obsigno: signanté annulum *codicil-*
Frango, periclum ne faciat aliis, meum. *los, sigillũ*
Age puer, aliquod carmen è nostris cane. *Frangit.*
Pu. Can. *Infœlix, modò crinibus nitebas,* Pet. Arb.
Phœbo pulchrior, & sorore: Phœbi p. 63.
At nunc lævior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda;
Ridentes fugis, & times puellas.
Ut mortem citiùs venire credas,
Scito jam capitis periisse partem.
Petr. Arbit. *O fallax natura Deûm, quæ prima dedisti*
Ætatis nostræ gaudia prima rapis.
Heu, heu nos miseros, quàm totus homuncio nihil est!
Quàm fragilis tenero stamine vita cadit?
Sic crimus cuncti, postquàm nos auferet Orcus.
Cape munus istud, dulce quia cantas, puer: *Largitur*
Et tu istud: at tu, quia strepis, pœnas dato. *pueris* 1.
Nemo mihi referat, ut sit æternus mihi *monile* 2.
Animus, philosophi nec quid austeri probent: *nũmos* 3.
Sed perpolita carmina, & versus leves. *verbera.*
Sic vivere, & sic Arbitro arbitrium est mori.
Frater sorori me juget, Morti Sopor.
De nocte vita, de die somnus fuit:
In idem volumen nunc eant nox & dies. *Exit cũ suis.*

ACT.

Thraseas Pætus. Helvidius Priscus. Paconius Agrippinus. Rufficus Arulenus. Arria Pæti. Demetrius Pætus. Domitius Cæcilianus. Quæstor Consulis.

Helvid. Pris. Ergo in senatu Pæte, res agitur tua,
Defensionis nec tuæ cura est tibi?
Nil nisi virile proferes constans, scio,
Quo laudem adornes, diluas turpes notas.
Pavidus recedat se tegat latebris iners.
Te Roma videat obvium morti virum.
Voces Senatus capiat, humanas suprà.
Poterit moveri oraculis etiam Nero,
Miraculoque: sævitia sin sit procax,
Illum memoriâ posteri recolent magis,
E vita honestè quisquis exibit sua,
Quàm qui peribit segnis, ignavus, silens.
Prodi ergo, nec te prode, nec causam bonam.
Pac. Agrip. Suspecta bonitas, Thrasea suspectus bonus
Bonus malo Nerone, temporibus malis. (nus;
Convicia at nunc, ludibria, probra imminent.
Aures maledicis subtrahe, insolitus loqui,
Audire probra: Nec Capito solum caput
Injuriarum, aut Eprius urgebit scelus:
Sed forsan aderunt, qui manus, ictus parent.
Immanitatem Cæsaris, vel qui boni,
Metu, sequentur: nunc facit bonitas metum.
Tu, qui Senatum semper ornâris, notam
Tanti facinoris illi inurendam elue.
Dubium relinque, quid statuturi Patres,
Si te viderent: nulla spes, scelerum ut pudor
Capiat Neronem: magna formido est, simul

Ne

Ne tibi familiam, pignora, uxorem auferat.
Finem igitur impollutus, intactus pete:
Par fine, quibus & ſtudio, & exemplo parem
Vitam exigebas. *Arulen.* Et precor, vitam exigat
Thraſea perennem, dignus haud unquam mori,
Quin niſi ſtatuerint mitiùs in illum Patres,
Tribunus intercedam, & arcebo nefas.
Bonum hinc tuebor, gloriam augebo meam.
Thra. Pæt. Cohibe Tribunæ ſpiritum; ne quid novi
Incipe, quod obſit tibi, mihi profit nihil.
Mihi tot per annos, quem tenco, vitæ tenor
Non deſerendus: tibi magiſtratus recens,
Et quæ ſuperſunt integra: expendas priùs,
Quod tam inquinato tempore inſiſtas iter,
Quo ſit probum non eſſe, non tutum; probum
Probro ſit eſſe: quiſque timet, inſons perit.
Quo vitia quiſquis odit, homines oderit. *Intrat Domitius Cæcilianus S.*
Tu te tuere: me mihi relinque; & cave.
Videro, Senatus an ſit adeundus mihi.
Dom. Cæc. O Pæte, ſerò videris: nam te jubet
Mori Senatus: Conſulis Quæſtor venit,
Qui cogat. *Thraſ.* Adſit: nil moror: ſed nec queror.
Punit nocentem? cedo juſtitiæ: decet.
Premit innocentem? cedo fortunæ: licet.
Quid dico, licet? at veriùs dicam, poteſt.
Vas iſtud animæ frangat, animam non poteſt.
Pac. Agrip. Ut lætus ille nuncium mœſtum audiit?
Thraſ. Pet. Perimendus, hodie malo me perimi, malo
Breviore, in alium quàm relegari diem. *Arrian.*
Ruſtic. Arul. Sed an hæc ferenda?
Thraſ. Ne time, immotus feram.
Ru. Ar. Patiuntur hæc Dii? Nero jubet; Patres ſinũt?
Dii negligentes: ſæve Nero; ſervi Patres.
Thraſ. Pæt. Maledicta ceſſent: lachrymæ haud ſortẽ
Ne flete amici; fugite non flentem ocyùs; (decent.

Pericla

Pericla nec miſcete: ſufficiam neci.
Arria. An ergo Pæte, matris exemplum Arriæ,
Pæti uxor itidem, & Arria, haud auſim ſequi?
Sequar, & præibo: te præeo, & illam ſequar.
Meliore, quàm Paulina, te præeo fide.
Thraſ. Pæt. At non præibis, ſi meæ quicquam preces,
Per charitates te meas moneo, & tuas,
Vitam retineas; nec meæ natæ, ac tuæ,
Quod reſtat in te, id adime ſubſidium unicum.
Mihi juſſa mors eſt: ſed quid Helvidius gener?
Dom. Cæci. Italiâ abigitur.
Thraſ. Lætor. *Agrip.* Et de me quid eſt?
Et me patris ſors dura, ſi non mors, manet.
Dom. Cæci. Italiâ abigeris.
Agrip. Gaudeo: ſed quid bona?
Dom. Cæſi. Adempta non ſunt. *Arri. in Epict. c. 1. f.*
Agrip. Ergo Aricinum jugum
Adeamus, illic Priſce pranſuri: æs erit
Solvatur unde ſymbolum: non eſt ſolum
Mutare grave: nec me impedio: Thraſea Vale.
Thraſ. Pæt. Valete reliqui: ſolus Helvidius comes,
Demetriuſque maneat, ubi Quæſtor venit. *Venas*
Diſcâ aliquid ipſa in morte: quid mœres gener? *ſolvit.*
Hel. Priſ. Talem extitiſſe mœreo, talem mori.
Thraſ. Pæt. Talem extitiſſe gaudeas, talem mori.
Hel. Priſ. Juſtitia (credo) mœret, & moritur ſimul.
Thraſ. Pet. Juſtitia nunquam moritur.
Hel. At terras fugit. *Thraſ. Pæt.* Et tu.
Hel. Sed aſtra petit. *Thraſ.* Et ego cupidus petam.
Philoſophe, numquid morior? an mens eſt mihi
Moritura nunquam? & illa pars melior mei?
Demetriu. Natura mortem Cæſari, ut Cæſar tibi,
Minitatur: illa Cæſari ſit mors; tibi,
Vita reputetur: animus æternus vetat *Quæſtor ingreditur.*
Juſtũ perire. *Thr.* An animus æternus mihi

Tu

Tu quære: sed adest Quæstor: ego mox mox sciam.
Quæstor. Quòd est necesse, quòd iubés facias, bene est.
Facis ut oportet Pæte. *Hel.* Quæ mens est socer?
Thras. Pæt. Observat illa, sentiat num se mori:
Siquid molestum, aut triste narrabo tibi.
Sed hunc liquorem libo ἐλευθερίῳ Jovi.
Adverte Quæstor, juvenis adverte, & vide; *ad Quæ-*
(Simile sed omen numen avertat Deum) *storem.*
Sed in illa natus tempora, expediat quibus
Firmare mentem non malam exemplis bonis.
Animus, Philosophe, carceribus ac fic volet, *conversus*
Mihi gestit: at quo citius, & sordes lavet, *ad Demetri-*
Et ponat onus, in balneum inferri placet. *um.*
Erit, erit aliquis publici vindex mali. *Exeunt omnes.*

ACT. 5. SCE. 11. 4.1.

Vmbra Agrippinæ. Nero. Sporus. Epaphroditus.

Vmbra. Agrip. Nero.
Ne. Vocor; at non audio vocantem. *Vmb.* Nero;
Nero. Indesinenter omnibus Mater locis
Persequeris? an non te mei, quà merui
Tædet, pudetque tandem? haud miseret mei?
Agnosco, pectus si recludatur meum,
Tormenta, flagra, mille pœnarum modos;
Nisi grave vulnus, ulcus, aspicias nihil.
Tandem misereat: At dies idem redit *Martii.* 20.
Vertentis anni, cæsa quo mater mihi *Suet.* 40.
Quàm scio, propinquum nil boni, quòd me vocat.
At esse lætum, Dîis vel invitis, libet.
Regina, Domina, Juno, Venus, Hebe, Spore *Sporum*
Accede; nostro funde lætitiam sinu. *evocat, amplectitur.*
Sed Epaphrodite, quid rei? *Intrat Ep. à libel. cui lacerat.*

Epaphro. Hæc in te probra
Vindex rebellis edidit, Cæsar. *Nero.* Lege.
Epaph. Nunc Ænobarbus, ferreus mente æneus
Ore, regit orbem; prædo, non Princeps; regit,
Imò rapit orbem; præco, non Princeps; nec est
Augustus, at cinædus, auriga, histrio:
Nec vir; viro qui nupsit, & duxit virum.
Monstrum viri, cruore maceratum lutum.
Quidvis magis quàm musicus, & illud tamen
(O Principis laus magna) quàm Princeps magis.
Iste Nero quid agat, si rogas, audi; furit:
Ligatur, obæcatur, insanit, parit:
Oedipus, Orestes, Hercules, quod non nefas!
Medæa, Canace, Phædra, Helena; quod non nefas!
Mala malè cantat illa, malè perdit sua
Bona citharœdus malus, inexpertus, rudis.
Fert Roma: sed an hæc Gallia, an Vindex ferat?
Ne. non fert columbam? milvium; imò aquilam fe-
Feret leonem, mite qui non fert pecus. (ret.
Malè tibi, nobis consulis Vindex bene. *Suet. c. 40.*
Quin subvenire perditis rebus studes.
Nempe locupletis Galliæ immensas opes
Aggerere nostris bellicæ hinc leges dabunt.
Benè nata, bona consumpta reparandi, seges.
At Ænobarbus, non Nero, dicor: placet *c. 41.*
Gentile nomen; minùs adoptivum placet.
Illud resumam, quod per opprobrium exprobrat.
Malè habet id unum: nempe cytharœdus malus
Quia dicor: Ullum nostis artificem magis,
Magis peritum, ex arte seu cythara canam,
Sive histrionem, Roscio haud dispar, agam?
Dicite, sacratæ vocis applausum mihi. *Civis intùs jungit.*
Qui concitastis sæpe! non nostis, scio: *cum scena*
Et probro ab isto, probra quæ falsa ingerat, *simulat.*
Discite. Sed illud quid sonat? *Vox int.* Vindex tibi
Male

Male ſerve veniat. *Ner.* Quid ait? *c.45.ſ.*
Epaphrod. Iraſcens herus
Servo precatur malè. *Ner.* Sit ambobus malè;
Niſi Vindici, quæ à Vindice, precātur mala. *aliæ lite-*
Sed quid nova tibi ſcriptio apportat novi? *ræ ad Ep.*
Epaph. Minatur eadem à Vindice & Gallis mala.
Ner. Et ego minabor Vindici, & Gallis mala:
Paria vel illis, quæ mihi minantur, ferant.
Ite, ite in illos: contrucidari volo
Ubique quicquid exulum, quicquid latet *c.43.*
Gallorum in Urbe: Vindici & Gallis favent
Utrique; utrique conſcii; pereant ſimul. *Xiphil.*
Quin Vindicis quicunq; præſciderit caput, *Suet.c.45.*
Centum aureorum millia merenti dabo. *Aſcriptum*
Ite populatum Gallias. Sed quid refert *colūnis le-*
Quod in colūnis ſcribitur? an & ſunt probra? *git Epap.*

Epaph. Cantando vigiles te, Nero, Galli excitant.

Ner. Mallent ſopitum: nunc canunt, at mox gement:
Nec in aurem utramvis dormient, qui me excitant.
Citentur omnes ad ſacramentum tribas: *c.44.*
Dent è familiis nomen & ſervi optimi,
Et atrienſes, & reſervati ad manum.
Vehicula fiant, organa ut ſcenæ vehant.
Et concubinæ, quaſi viri curtâ comâ,
Mihi tondeantur, militent, comites eant,
Et cum ſecuri peltam Amazoniam gerant.
Ut quaſi Camillæ ſocia ſint Turno agmina;
Quem, cum revertar, ipſe Virgilii canam. *c.54.*
Sporus. Meliore redeas omine: ſed unde aurea
Ex meſſe merces, militum ζωή, ψυχή? *rum?*
Ner. Cenſum omnis ordo conferat, nummum aſpe-
Et puſtulatum argentum, & obryzum ſimul *c.44.ſ.*
Aurum exigatur; penſio in fiſcum annua

Ab inquilinis cedat: ità nunc est opus:
Congesta nec enim pace, quæ bello egeram.
Epaph. Bona serò captas: nunc habet fiscus malè.
Nero. Bonus ergo princeps: ero malus, ut adsint bona.
Epaphro. At fortè fato Galliæ haud vinci queūt, *c.* 43.
Nisi duce solo Consule. *Nero.* Auspicium probo.
Honore uterque cedet: ego solus feram
Fasces, & arma in Gallias Consul geram.
Stratagema scitum restat, invictum, unicum. *Savil.*
In Gallias ut venero, ut castra hostium *c.* 43. *f.*
Videro, & ut ora viderint hostes mea,
Prodibo inermis, hinc & hinc oculos feram:
Illi silebunt; et ego, nisi flebo, nihil.
Illi obstupescent; & ego, nisi flebo, nihil.
Scio, resipiscent, arma deponent, manus
Dabunt, rogabunt veniam; ego lætus canam
Cantica triumphi læta, cum lætis ovans:
Quæ jam parari tempus in lætum volo.
Et omen ecce prosperum: Gallum vide *insculptū mo-*
Romano ab equite militem oppressum, trahi *numento.*
Crinibus: adoro cœlites læto omine. *c.* 14.
Spo. Ergo auspicanti Cōsuli hunc dono annulū: *c.* 46.
Sis παντονίκης: fruere tam votis tuis, *annulus.*
Quàm Ditis iste dominus, & frater Jovis.
Nero. Sculptura gemmæ quæ subest?
Spor. Raptus Deæ,
Quæ visa, amata, rapta simul Erebi Deo. *Ou. Met. l.* 5.
Nero. Sabina dulcis quia tuum est, donum placet:
A raptu, & imo Dite, vix omen placet. *aliæ literæ. ad*
Sed Epaphrodite, quid novi è scriptis novis? *Epaph.*
Epaph. Nova monstra, Cæsar. *c.* 42.
Nero. Unde? quæ? quot? quē petunt?
Epaph. Defecit etiam Galba.
Ner. Defecit? *Epaph.* Novus
Cæsar creatus. *Ner.* Galba?

Epaph.

Epa. Galba. *Ne.* Heu me occidi. *propè intermortuus*
Epap. Enfractus animo, voce defectus ſtupet. *cadit.*
Collapſus, acſi ſpiritu orbatus, jacet.
Succurre nutrix; Domina ſuccurre; alleva.
Cal. Criſp. Mi Cæſar. *N.* Eheu. *Sp.* Mi Nero.
N. Heu. *Ep.* Cæſar. *N.* Quid eſt?
Quis me ad dolores revocat: excideram bene. *reſipiſcit.*
Cal. Criſp. Attolle caput.
Ner. O perditũ, infœlix caput; *caput converberat.*
Diverberandum fuſte; laniandas comas.
Cal. Criſp. Attolle veſtem.
Ner. Veſtis in partes eat. *veſtē dilacerat.*
Attolle, dicis; tolle, pars major ſociat.
Spor. Tibi parce, Cæſar. *Ner.* Nemo cui parcit deũm,
Hominumve? utrique quem æmulis odiis premunt?
Cal. Criſp. Recollige animum.
Ner. Nullus eſt. *Calu.* Redeat prior.
Nero. Jam periit. *Spor.* Abſit.
Epaph. Abſit? imò adſit valens
Virtute, dignus Cæſare, infractus malis.
Cal. Criſp. Quid agis? virumne video? *f. 42.*
Nero. De me actum vides.
Cal. Criſp. Quin multa multi principes animo inclyto
Paria tulere, terga nec dederant malis.
Nero. Incognita, infanda, inſolita cogor pati:
Imperia ſiquidem vivus amitto mea.
Epaph. Amiſſa nondum, dum domi miles frequens,
Fertque in rebelles arma Virginius foris. *Xiphil.*
Ille tibi, Cæſar, Vindicem & Galbam premet.
Ille veteranos, ille legiones regit *Savil.*
Tres; hi niſi unam, milites ſparſos, novos.
Adde, legiones Capito bis geminas habet,
Nec has remotas: advoces, niſi quòd procul,
Septemdecim alias: copiis tantis quis eſt,
Qui pertimeſcat? ne time: oppoſiti luent.

Hostes Senatus Vindicem & Galbam simul
Pronunciavit publicos: hostes cadent.
Nihil ita durum, quin tua id virtus domet.
Ner. Suspecta cuncta: deficit cunctis fides.
Quis non, ubi ipsum petitur imperium, timet?
Quis non ad istos horret, & trepidat sonos?
Fateor, feriri non fero hanc chordam; strepit:
Hujus tetigeris quicquid, est ulcus; dolet:
Unde tener animus, quicquid increpuit, tremit.
Quid caveo certa, incerta quid timeo mala?
Non magna fateor quæ timeo, timeo tamen.
Apollo, memini, Delphicus fato dedit; *Suet. c.40.*
Cavenda cum annis lustra bis septem tribus.
Neophytus. Tot natus annos Galba: sed taceo.
Nero. Quid est?
Quid ais? *Neop.* Tot annos natus imperium, auguror,
Usque triplicabis, forsan obiturus senex.
Ner. Vera augurare: nec dubito pisces mihi
Citò reddituros, siquid amittam mari.
Ità perbenigna Sors mihi semper Dea.
Sporus. Tam sit favendo firma, quàm fœlix Dea.
Ner. Hucusque, & ipsis favit in cunis mihi,
Nec triste venit aliquid, armillam auream *c.6.f.*
Dum gessi: at ubi nunc illa quasi Sortis favens
Tessera faventis? periit: ego perii simul.
Fore destitutum dixit Astrologus: sed hoc *c.40.p.*
Amissa post Britanniam Armenia, & tamen
Utraque recepta fatum adimplevit; malis
Fatalibus defunctus ut videar: neque
Sic destitutum, quin & Orientem, & sacra
Templa Solymorum, & denuò mundum integrum
Jam restitutus pristinæ sorti regam.
Extrea ut adsint, πᾶσα γῆ τάχιον πάλιν.
Ex arte vivam musica, imperium ut ruat.
Ergo in rebelles meditor, & modulor duces *c.42.f.*

Joculare carmen; quo caput calvum canam,
Cui pilus honesti non adhæresc̃it viri; *Suet. Galb. c. 21.*
Os, quasi serendis frugibus aratum solum;
Et nasum aduncum, accipitris indicium feri.
Habere nasum non datur tantum omnibus.
Archilochus alter ero Lycambæis modis,
Qui pejus angant, quàm pedes podagra, aut manus.
Veniamq; Vindex interim siquam dabit, *N. c. 41. f.*
Si vivo, vinco, publicè hydraulam dabo, *& c. 54.*
Dabo & choraulam, & tibiis doctus canam
Fixis utriculo. Cæsarẽ annon hæc decent? *alia literæ*
Interim utriusq; perfidum damnò caput, *ad Epaph.*
Proscribo bona. *Ep.* Quin Galba proscribit tua: *Savil.*
Tuique pretium capitis, assignat suum *Xiphil.*
Vindex: & illis arma conjunxit sua *Suet. c. 47.*
Virginius; illis Rubrius Gallus favet.
Sic habet in istis literis. *Ne.* Sic, sic habet? *concerpit illas.*
O execrandæ literæ, quæ sic habent.
Quid nunc agendum? nil agere, nil non pati
Dignum Neronẽ? Scilicet, totus mihi *c. 43.*
Senatus odio mutuo invisus luet:
Cæsus veneno dapibus immisto ruet.
Urbs tota flammis cedet; immissis feris,
Inhibere flammas quisquis audebit, cadet.
Ut nemo post me Cæsarem Romæ imperet:
Urbe & Senatu careat ut Cæsar novus.
Hãc hãc it animus; hoc ago: sed ista ultrò
Optanda, non speranda: compingi nequit
Senatus; aditum, & impetum populus premet,
Regeret: Quid ergo? Sergiũ supplex petam? *c. 47.*
Nec profuturum; nec decet. Parthos petam?
Prodigus in illos qui fui, ut referant vicem?
At per rebelles clauditur ad illos via.
Quid tandem? adibo rostra, miserandus, gemens,
Atratus, omnes artis experiar modos,

Miſerationem ut concitem, veniam precer?
Facilis roganti venia: niſi veniam dabunt,
Saltem dabunt, præfectus Ægyptum ut regam.
Hoc placet; hoc ut agam, ſermo formandus mihi.
Ac me priuſquam ad roſtra perveniam, manu
Feroce, mente turba diſcerpet fera:
Ut ad aſtra, Romæ quâ facit populus Deos,
Ut primus, ita poſtremus Æneades eat.
Quam varius æheu diſtrahor, dubius tremo?
Ut navis, unda & ventus ubi bellum gerunt;
Ut nauta, at undæ cedat, an vento magis.
Vos, ſpero, amici, mecum in Ægyptum ibitis?
Claſſis paratur. Vos Gerelane, & Niger,
Ibitis! *Nig.* Eundum in caſtra militibus magis.
Ger.tri. Nec quoquàm eũdũ, nos niſi Sabinus jubet.
Ne. Quid ſi Sabinum jubeo?
Ger. Nil moveas tamen.
Ner. Ingrata monſtra, in Cæſarem ſic vos decet?
Deſeriti illum? *Nig.* Deſerit Cæſar ſuos,
Et ſc. *Ner.* Quid ultra, quò magis fiam miſer?
Quos aluit aula, nunc fugam ſorices parant:
Quos noſtra texit veſtis, en tineæ avolant. *Suet. c.* 14.
Cur vivo? cur non morior? *Nig.* Uſque adeò mori
Miſerum? *Ner.* Maronis audio Turnum, ac agam.
Ventum ad ſupremum eſt; quò Deus, quo ſors vocat
Dura, ſequar: omnis ſpes periit, omnis ſalus. *Locuſta*
Ut moriar igitur, Cæſarem ut par eſt mori, *evocatur*
Locuſta ferat huc toxicum certum & citum. *cum vene-*
Themiſtoclis, Mithridatis, Annibalis modo *no. pyxis*
Moriar. Venenum hoc quale? *aurea.*
Lo. Quali omnis cadat,
Vitæ facultas: cecidit hoc frater. *Ner.* Placet,
Me frater, uxor, mater impellunt mori.
Condatur ergo pyxide venenum aureâ,
Summos in uſus. Summa ſed nondum premunt:

Et

Et melius aliquid crastinus forsan dies.
Placidus molestas nunc levet curas sopor.
Paulisper illum fidus excubitor tegat. *Exit Nero cum Nigr. trib.* Fidus ita fracto, fortis ita timido *Epaph.*
Miseros amicos ulla nisi elegit fides? (quis est?. *Spe-*
Fortuna cui mutata non mutat fidem? *ro &c.* 4.2.
Cum deprimit fortuna, si attollit fides,
Laudata, sed depressa, dat pœnas fides.
Hinc fugere miseros, colere fœlices decet.
Accedo fatis, et Deos sector duces.
Quem Dii relinquunt, desero: quin, quod magis,
Se deserentem desero: quidni ferox,
Quò fertur orbis! eo comes, ut omnes eunt?
Esto Nero solus; non erit solus Niger.
Gere. trib. Tribune socios nos habe: nam non placet,
Perire cum Nerone pereunte, ut vides.
Quin silva, lauros quæ sub Augusto dedit, *Suet. C.c.* 1.
Unde in triumphis quisque decerpsit suas
Cæsar coronas, arborem & sevit suam,
Obitu ferentis quæ simul languens obit,
Nunc tota ab ima exaruit stirpe undique.
Quin silvæ alumnæ, quas parens alba edidit
Gallina, primùm Liviæ in gremium ferens
Lauri feracis ramulum, egregiè ferax,
Perlere prorsus sobole Gallinæ inclitâ.
Quin tacta cœlo Cæsarum est ædes sacra;
Et ceciderunt capita de statuis simul;
Sceptrumque fractum è manibus Augusti excidit;
Et conciderunt in sacra ornati Lares. *N.c.* 46. *m.*
Quid multa? Cæsar res novas, & Dii ferunt;
Dii deserendo Cæsarem, Cæsar Deos.
Prætorianis quos Nero asseruit duces,
Primi Neronem deserunt: primus loco
Sabinus illos Galbæ ad imperium vocat,
Et pollicetur millia viritim decem

Sestertiùm ter dicta: quin & nos pares
Nummis merendis, principe legendo sumus,
Galbamque conclamamus, & pereat Nero.
Exeunt cum statione excubantium.

ACT. 5. SCE. ult. 5.1.

Umbra Agrippinæ. Nero. Phaon. Sporus. Epaphroditus. Neophytus. Cives 2. Missicius prætorian. & alter.

Umb. Ag. Nero. *Ne.* Neronis nomen infœlix quis est,
Qui personando corripit somnos leves? *Animæ interfectæ*
O inquietum conscię mentis forum, *insultant*
Aculeum, eculeum; quo subit semper pater, *illi.*
Frater, parcísq;, Burrhus, & Plautus, soror,
Uxorque gemina, Seneca, Pisonis manus,
Corbulo, Soranus, Arbiter, Thrasea, Paris,
Et fulminatrix legio Cæsorum mihi.
Hinc trudor, illinc pellor, hinc illinc trahor,
Crucior, cruentor, torqueor, lanior, necor. *Xiphil.*
Terra en dehiscit fundit is quassa, evomit
Umbras farentes; agmen infernum mihi
Intultat; angues & faces in me jacit. *prosilit è lecto.*
Sed quo satelles abiit? excubitor manet *Suet. N. c. 47.*
Nullus? quid hoc est? ubi Tigellinus meus?
Ubi Polycletus? Helius? conj ubi
Meus Pythagoras? ubi cohors nostra aulici,
Liberti, amici? nemo respondet: vocat
Nero: sed vocanti nemo respondet: domos *circuit.*
Adibo: clausas en fores: non sunt domi: *pulsat.*
Imò esse nolunt. O abhorrendum nefas: *Pulsat. aug.*
O aulicorum perfidum, ingratum genus, *curial. Dur.*
Nec, ut pediculus, in cruce domino comes. *de. Posc.*
Quid curialis aulicus tandem mihi, *aul. polit.*

Fronte

Fronte aliud, aliud mente qui gestat suâ?
Foris modestus, impudens intùs; palàm
Blandus, maledicus clanculùm, & ubique invidus:
Piscator in aqua turbida: crassam bibens:
Ut fallat, assentator; ut nocear, potens.
Servus superbus, dominus abjectus; nepos
Perditus, avarus gryphus, omnigenum pecus:
Basiliscus afflans; hedera circundans; lupus
Sub vulpe; vulpes sub ove; galeatus lepus:
Iners Colossus, olla venalis, latens
Scopulus, sepulchrum gratiæ; meriti cinis.
Simulata perijt, vera jam facies redit.
Inane nomen nunc amicitia & fides.
Quem modò cohortes militum armarunt, greges
Tot aulicorum quem modò sequuti, modò
Quem coluit orbis, timuit Urbs Dominum, Deum,
Nunc destitutus, nunc egens, nunc nunc miser. (*idem.*
Fui monarcha, nunc ἄνευ ἀρχῆς μόνος: *Vmbra tollit pyx-*
Redeo ad venenũ: at pixis amota est: nimis *Suet. c.47.*
Forsan Neroni sit leve veneno mori. *Savil.*
Adsit Spicillus ergo gladiator ferox,
Aut aliquis alius qui manu intentet necem.
At nec Spicillus, nec manus quævis adest.
Ita nec amicus, ita nec inimicus mihi.
Quin ergo Tyberim præcipite cursu peto,
Mersurus illic Cæsarem, imperium, scelus?
Ardet, nec audet, animus audenter mori:
Ubi colligatur, ò locus detur latens. *c. 48.*
Epaphrodite, Spore, Phaon, quarte & comes
Neophyte, quid nunc? *Phaon.* In suburbanum meum
Abire si sit animus, en illud prope.
Nero. Tegor obsoletâ pœnulâ, adopertus caput,
Pede nudus, ora, ne quis agnoscat, tego
Sudario; portoque pugiones duos, (*tremor. fulgur.*
Fidos ministros, *Neoph.* Quid tremis? quid stas? files?

Nero.

Nero. Tremo, nam tremiscit terra, qui terram premo.
Sto, nam repente fulgur adversum micat *Clamor.* 1.
Sileo, quòd aures pepulit è castris sonus. 2.
Clam. è castris. Galba Imperator, Galba: dispereat Nero.
Nero. Pereat rebellis Galba; pereant, qui favent.
Clam. militũ. Veniãt Neroni cũcta mala, Galbæ bona. 3.
Ner. Imò Neroni cuncta bona, Galbæ mala;
Illisque Galbæ qui favent. Sed quis venit? *Intrat civis.*
Civis. 1. Heus, de Nerone quid novi Romæ?
Neoph. Nihil. *exit idem.*
Civis. 1. Ergo nihil. *Ne.* Imò nullus est.
Sed quis novus? *intrat alter.*
Civ. 2. Quo vos? *Neoph.* Quid ad te?
Civ. 2. Quin sino; Neronẽ, arbitror
Mi persequitur. *Nero.* Tu sinis, nõ qd; sequi *Exit idem.*
Velint Neronem, at persequi. Sed quid canis *Canis la-*
Latrat? an & ille persequitur? Et quid canit *trat. Gal-*
Gallus? an & ille prodit: an cantu excitat? *lus cantat.*
De me triumphum an cantat? O sæva, aspera, *Intrat*
Infanda. Sed adest alter; hic miles, puto, *Missicius præto-*
Prætorianus. *Missic.* O Nero, Salve, Vale. *rian:*
Nero. Utrumq; in uno, quam brevi, Salve, Vale! *facies*
Quia vivo, Salve; quia statim pereo, Vale. *subito dete-*
Non sic solebat Nero salutari; sed est *gitur.* *exit idem.*
Et hoc ferendum: cum leo exanimis jacet,
Insultat illi vel lepus. Sed quid moror?
Quin subeo? sed clam. *Phaon.* Per vepres igitur via,
Et arundinetum. *Ner* Non vides nudos pedes?
Phaon. Quin veste stratã sub pedibus ægrè ibitur.
Nero. Eatur: heu me; turpis hæc mortis fuga
Quàm morte pejor? quin bene est, vivam modò.
Phaon. Portam at latendi dum paro, & portum tibi,
Placeat arenæ condi in egestæ specum.
Nero. Sub terram iturus vivus? haud quaquàm placet.
In arundineto potiùs obtectus cubem

Dum

Dum lucet: inde quadrupes repam miſer,
Quâ me carverna proximam in cellam feret.
Culcitram ibi modicam pallium inſternat vetus: *Exit*
Cubile dignû Cæſare, Neronem decens. *Phaon, ut pa.*
Sed ſitio: latices hauriam merſâ manu *vet. aquâ potat*
Ex hâc lacunâ: quàm graveolentes aquas? *è lacuna.*
Sed bibo. Neronis potio hæc illo inclyta, *Suet. c. 48. Plin.*
Decocta, ſapiens ſine nivis vitio nivem? *l. 31 c. 3. redit*
Eſurio: panem da Phaon. *Pha.* Qualis domi *Phaon.*
Habetur, habeas. *Ner.* Sordidus, & ater movet *panem*
Stomachum, ſed illi diſplicet: malim fame *atrû affert.*
Perire, quàm ſic edere: patiendum tamen. *oblatû aſper-*
Quid ſonat? *Epap.* Agitat arbores ventus levis. *natur.*
Nero. Quàm cuncta terrent? quàm nihil? nihili *vento*
Quàm Panicus iſte terror! ut Satyrus meo (ſonus? *arbor*
Terreor ab ore: me fugo, & fugio ſimul. *movetur. Nero*
Neoph. Quin igitur unâ morte, tot mortis metus, *con-*
Mali imminentis non metum, ſed tot mala, *turbatur.*
Tot probra, diras, ſcandala, pericla effugis? *Suet. c. 49.*
Malis prematur, à malis qui vult premi.
Te contumeliis eripe futuris: ſemel
Non eſſe malis, eſſe quàm ſemper miſer.
Nero. Ergo niſi moriar, nec mora, effugium à malis
Nullumne? *Epaph.* Nullum.
Ner. Nil preces proſint? *Neoph.* Nihil.
Nero. Nil artificium? *Epa.* Nil.
Ner. Nihil lachrymæ? *Nep.* Nihil.
Nero. Nihil fuiſſe Cæſarem? *Neoph.* Hoc urget magis.
Hinc odia, ſcelera, machinæ, inſidiæ, minæ.
Nero. Ergo moriendum! *Neoph.* Quin citò.
Ner. Neroni? *Epa.* Tibi.
Nero. Horreſco totus: ut moriar, iſti quoque
Hortantur, inſtant, quos dedit ſolos mihi
Sors dura comites: quid ago? ſοὶ τάχεω ἐμὲ
Λὶν πῆς τοιούτους. ἄγε Νέρων, τῆσ' ὁ σφάγιον.

Ἔγειρε

NERO.

*Ἔγειρε σαυτὸν. turpiter vixi, scio:
Moriar decore: pareo: paretis scrobem
Corporis ad hujus non nimis magnũ modũ. heu. *flet ad*
Huc frusta siqua marmoris forsan propè, heu *singula.*
Cõponite, & aquam, & ligna, quæ mox mox meũ heu
Curent cadaver: proh dolor: at illud priùs
Vos rogo per omnes omnium affectus pios,
Hoc ne amputetur, Urbis, olim Orbis, caput;
Sed concremetur corpori, ut par est, meo. heu. *codicil.*
At cursor ad te quid ferat, videam Phaon. *los à curso-*
Quid hoc? *Neronem judicant hostem Patres; re perla-*
Et puniendum more majorum. Patres *tos præripit, legit.*
Hostes Neroni judicat Cæsar: sed hoc,
Quòd puniendus, more majorum, quid est?
Epaph. Quo nempe nudi inseritur in furcam caput,
Corpusque virgis ad necem cædi solet, (*Eutrop l. 7. f.*
Cæsumque saxo deijci. *Nero.* O sævum scelus!
Durare potero? potero tanta unus pati?
Non potero: sed nec non pati potero, nisi
Vel hic vel ille pugio breve faciat, morâ *nudat pugio-*
Quod gravius ipsa ex more majorum foret. (*nes.*
O morem iniquum, dura majorum ilia. *tentat aciem*
Uterque acutus: magis uter? neuter placet. *recondit.*
Cultellus iste citiùs expediet: sed hoc *cultellus ad*
Fatalis hora nondum adest: hic est tamen *jugulum.*
Ille, ille mihi quo Octavia peremptaest dies. *Suet. c. 57.*
Infaustus, ater, & capax scelerum dies. 8. *Iunii.* (*c. 49.*
Lamenta resonent: Spore in lacrymas flue. *Spor.* Heu.
Ne. Luge, ingemisce. *Spor.* Heu.
Ne. Plange; complora, ejula. *Spor.* Heu.
Ne. Pectus feri, pulsa caput, lania comas:
Dolor dolores, ut meus, vincat tuus,
Meus exulantis Oedipi, Alcyones tuus,
Coyca deplorantis: hos Echo audiat,
Et audiatur, tota dum totos refert,
Plangendo manibus flendo concertent genæ. *Spor.* Heu.

Ne.

Ne. Sit tibi dolendi, qui mihi flendi modus.
Sine modo utrumque. *Spor.* Heu. *Ne.* Non repræsento
Aliena ut olim; sed mea hic agitur mihi (mala *Xiphil.*
Tragœdia: Spore facta, non ficta aspice.
Verum dolorem vera jam causa exigit.
Non in theatro nunc, nec in scena sumus,
Sed vita, vere vita, perdenda est mihi.
Verè ergo luge, plange, geme, plora, ejula. *Spo.* Heu.
Ne. Quin vos amici, Antonium donec suum *Plut.*
Cleopatra miserum deflet, è vobis pius *in Ant.*
Aliquis Erotem præstet: exemplum necis
Det inferendæ? doceat, ut possim mori.
At nemo didicit à malo tantum boni.
Saltem Neroni, ut Cassio & Bruto sui, *Pindarus &*
Libertus aliquis commodet fidam manu, *Crato Plut. in*
Citiùs, faciliùs ut cadam: nam quid moror? *Brut. equi-*
Armata manus adveatat, ut vivum atrahat. *nitus. Ho-*
Armata mea me mortuum tradet manus. *mer. Il. x. 535.*
Heu pereo, qualis artifex? quantus Nero? heu.
Epa. Non te perimerem; at citiùs ut pereas, juvo. *Jus-*
Cen. Ubi Nero? periit? *Nero.* Ecce semianimem manu *vat*
Suâ peremptum. *Cent.* Quin adhuc spirans opem *Epa-*
Expectet aliquam: penula ad vulnus mea *phr. irrum-*
Cruorem inhibeat. *Ner.* Serò: sed an hæc est fides? *pit*
Epa. Defecit, expiravit: en oculi rigent, *Cent.*
Extant, in oris squallidi horrendum nodum.
Habet: peractum est: Cæsar en cæsu sibi:
Restatque de Nerone tam magno nihil,
Nisi quod sepulchrum condat aut ignis cremet.

Tres Furiæ. CHORVS. 5. Dimetr. Iamb.

Alecto. EN magna magnis cladibus
Plecti, premente numine:
Megæra,

Megæra, *En destitutum principem*
Ex deserente numine.
Tisiphone. *En vindicatos subditos*
A vindicante numine.
Al. *Hinc magna, magnis viribus*
Majora noscant numina.
M. *Hinc diligendi principes*
Colant verenda numina.
Tis. *Hinc liberandi subditi*
Opem precentur numina.
Al. *Sic magna stabunt, maxime*
Si fulcientur numini.
Me. *Sic munientur principes,*
Si muniantur numini.
Ti. *Sic protegentur subditi*
Sic protegantur numini.

Nemesis. ἐπιλογίζει

Sistite Sorores: finem habet nimius Nero,
Domitus Domitius: tam mali finis boni.
Olim hoc Quirites fine vlaverunt foro Suet. c.
Plebs tota pileis tecta discurrit, sacra 57. Sa-
Equites, opima festa celebratum Patres. vil.
Ita mala brevia gaudium longum ferunt.

At

At hic alumna pacis, imperii salus,
Dea mititatis, hominum amor, regum decus,
ELISA regnat; vix scias magis an suos
Amet, an ametur à suis; major loco,
An melior animo; faciat, an foveat magis
Probos, fideles aulicos: Patres suos
Magis an sequatur: an præeat: illi parem
Laudem an poeta fingat, an Princeps ferat.
Tam fama, facta, fata, disparia, ut magis
Nihil esse possit, quàm Anglica Neroni Dea,
Temporibus illis ista, bona summè malis.
Nos ergo eamus: Vos vel exutis malo
Nerone, vestris vel bonis plausum date.

M. G.

FINIS.

Imprimatur,
T. Wykes.

Aug: 13.
1638.

Perimis ambo : tibi fides, regnum mihi
Periit : utrique pestis utriusque imminet.
Age, perge, perde, tunde, dilania, fodi,
Excinde matrem, Cæsarem ut verum probes.
A' νίκητε nomen, omen, invictum tene.
At illa pollens gratiâ nummis potens,
Timore cauta, tuta famulorum fide,
Olfaciet, antevertet, invertet dolos :
Invertet in me ; evertet & mecum omnia.
Annosa vulpes haud citò in laqueum cadet.
Imò hæc leæna, ut fugit insidias, struet
Artem arte, vim vi, scelere superabit scelus.
Pentheus Agaven pellet à Bacchi sacris ?
Perimet Agave Penthea, ut Baccho sacrum.
Ferire, vel perire, sic una optio.
Prior Anicete tu feri, & penitùs feri.
Nisi feriatur, nisi pereat, atrox fera,
Nos feriet, ut perire sit nostra optio.
Ita ludit, aut elidit, hinc spes, hinc metus.
Acsi unda puppim nunc levet, sed nunc premat ;
Nunc salit in altum cor superbificum mihi ;
Nunc ponderosum mole subsidit gravi.
Malè habet utrinque : spe, metu, quàm re, magis.
Hic motus aliquid, spes aliud, aliud metus,
Actum esse dicunt : quid sit haud dicunt tamen.
Anicete spem tutare, rem præsta, metum
Discute : sed heu me, spes fugit, vincit metus.
Quod spero, credo : quod metuo, credo magis.
Metuenda magis, ut citiùs adventant, mala.
Ita implicantur, ita novis currunt gyris,
Tam magna dum sperantur, hinc spes, hinc metus.
Spes ab Aniceto, sed ab Agrippina metus.
Solus Anicetus sistere in tuto potest.
Et ecce rediit. Dic, an interii miser ? *Intrat Anicetus.*
An interemi ? *Anic.* Siccine necesse alterum ?

Nero.

Nero. Necesse. *Ani.* Non est igitur in dubio, magis
Optetur utrum. *Nero.* Non: sed in dubio manens
Magis interire videor. *Ani.* An nulla est mora?
Ner. Mora nulla: mortem dicis, ubi dicis moram.
An. Quin dico mortem. *Ne.* Quid? meam? *An.* Superi vetent.
Matrem peremptam dico. *Ner.* Num matrem meam?
Ani. Tuam. *Ner.* Peremptam? *Ani.* Et hac manu.
Ner. Laudo manum, Exosculorque: sed fide dicis tuâ?
Ani. Meâ. *Ner.* Quid? illam mortuam? an credam? an cupis?
An. Tam crede, quàm te vivere, Anicetum loqui.
Ner. Cupio, nequeoq; credere, ita magnum est bonũ.
Nec tanta facile est credere: sed esser modum.
Sed sciscitari de modo non est opus:
Modò constet actum: majus est ipsâ fide,
Illotuisse perimi: non potest fieri satis,
Factum audiendo: nec satis fiet, nisi
Oculus, quod auris audiit, spectet lubens.
Oculus tuendo, tutus agat animus, facit.
Ire, intueri, si licet tutò, libet.
Licetne? *An.* Quidni? *Ne.* Mortuam credis? *Ani.* Scio.
N. Vidistin? *A.* Oculis hisce. *N.* Et à manibus tuis?
An. Istis. *N.* At. *An.* At quid? *Ne.* Ne reviviscat, metus.
An. Metus est inanis. *Ne.* Videris, ne sim miser:
Nisi illa periit. *An.* Me vide. *Ne.* At spirans adhuc
Si convaluerit. *An.* Ne time. *Ner.* Affirmas? eo:
Aut prodis, aut me perdis, aut prorsus beas.

CHORUS 3.

Megæra. *Anapæstic.*

HOmini lupus est homo, non Deus est.
Ut homo est homini, fera nulla feræ est.
Nisi quâ vivat, viscera matri,
Nulla, aut exemplo, vipera rodat.

Nihil ingratum, nihil infidum,
Nihil infestum, nihil invisum,
Ut homo est homini, summa malorum.
Non malè saxo creditur ortus,
Animo immiti qui saxa refert.
Anthropophagos, μισανθρώπους,
Et sanguibibas, & carnivoros
Homines ætas ferrea vidit!
Magis an feritas ferrea fecit?
Homines Furiæ; nos Eumenides: εὐμενεῖς
Injusti homines, nos sinceræ: Orph. hymn.
Illi immeritos, nos promeritos, Eumenid.
Illi cruciant, nos punimus:
Alacres illi, nos mœrentes.
Quis Busiris, quis Diomedes,
Phalaris, Siculus, Thraxve tyrannus,
Imperat Orco? nullus in Orco,
Nisi punitus, qui cruciârat.
Nam manet illos par tormentum,
Qui tortores hominum immanes:
Idque per ævum plusquam humanum.

ACT.

ACT. 4. SCE. 1.

Vmbra Agrippinæ.

Quâ nulla meliùs cæsa (nam merito meo)
At nulla pejùs, (nam scelere nati mei)
Quâ nulla magis horrenda, vindictam fero.
Matres, sed ulti à matribus cæsos patres,
Et jussi, Orestes pius, & Alcmæon pius
Malè sustulere: uterq; sublatas luit
Insaniendo, vindices Furias tulit.
At monstra monstrum superat hoc longè omnia.
Tibi Nero trimulo, cecidit ex morbo pater: *Suet. N.*
At & ille partus tum meos, ortus tuos, *c. 6.*
Prius execratus; posse nil nobis putans,
Nisi execrandum, & publico nasci malo.
At mihi maritus alter, at pro te, cadit;
Cadit veneno, quia tibi prodest, tuo.
Tu facta pro te vindicas? pro te nocens,
Non tibi; sed heu me, non nocens, plector tibi.
Cædere parentem (proh scelus) monstro libet:
Videre cæsam (proh pudor) mœcho vacat: *Dion.*
Ridere visam (proh nefas) scurram juvat. *Tac.*
Incestè parricida, sic natum decet? *Suet.*
Mea membra tractas, alia vituperas, probas *Suet.*
Alia, intuensque mox bibis obortâ siti. *c. 34.*
Quin bibe cruorem, quem fitis; matrem bibe.
Habere matrem nempe *tam pulcram innocens* *Dion.*
Tu nesciebas: nempe tam pulcram nocens
Habere non vis: non habes: matrem exuis?

Oneri eſt, & odio, mater, & pulchra: ò ſcelus.
Oneri putatur gratia, in quæſtu ultio. *Dion.*
Impunè tanta? tot ſcelera? nec dum furis?
Nec dum expaveſcis? imò nec ſentis adhuc
Dira Furiarum verbera, ardentes faces?
Sine metu adhuc eſt vita? ſine curâ quies?
Nec dum agitat animus tortor, ac terror tuus,
Ille ille teſtis pectore retruſus tuo?
Agitabit; & te ſenties pœnam tibi;
Te, gravius Eumenidibus, & Nemeſi malum.
Quin parricidæ culleus vivo domus?
Comites canis, ſimiola, gallus, vipera? *Cic. pro.*
Mare lectus? illum ſed nec abſumant feræ, *Roſc.*
Magis efferandæ: nec mare ſceleſtum abluat, *Amer.*
Ne polluatur: Terra, Sol, Cœlum, Mare,
Nata unde cuncta, cuncta deficiant cum,
Matrem, unde natus, qui bene merentem necet.
Mare fluctuantem, ſpiritus vivum abdicet:
Terra morientem, littus ejectum abnuat.
At vivit, heu me, vivit in majus nefas.
Age, matre cæsâ, quid nefas? quid non nefas?
Ergo digna, fateor, ferre; at indignus Nero
Inferre matri: at quid meruit uxor pia,
Tibi abdicanda? niſi ſatis non ſit tibi
Illam abdicare: quin neci immeritæ dare
Illam immerentem deſtinas: num non pudet?
Poppæa ſuadet (nec pudet) ſcortum impudens:
Mihi machinata, nunc & uxori necem
Malè meditatur: ſibi tuos ſpondet thoros.
Nec illa, nec tu, nec Seneca tantum nefas
Tutò auferetis: adſum, & has tædas fero
Pronuba jugales: non potero forſan nurum
Servare ſanctam; potero vexare impiam.
Cremata, non humata, oberrabo undique.
Nec te, nec illam patiar immunes frui

Mœrore

Dion.

Mœrore noſtro: perge, tibi chara omnia
Tu perde: Burrhus & Seneca nimiam fidem
Meritò luant: te Roma, tu Romam oderis:
Odium ruinas & paret utrique, & ferat.
Dii (ſi quid hominum cura ſollicitat Deos)
Homines (hominibus ſiqua religio in Deos)
Dis (ſi quid homines, aut Deos audis pios)
Rapite Neronem, rapite rapiendum omnia,
Odium Deorum, Ditis onus, hominum luem.

ACT. 4. SCE. 2.

Poppæa territa. Nero excitatus. Umbra Agrippinæ.

Poppæa. Quo fugitis? an me vos fugitis? an vos ego? Sen. Oct.
Criſpine conjux, nate Criſpine, oſcula
Libate ut olim: non licet? prohibet Nero, act. 4.
Enſemque jugulo condit infenſus meo!
Servate, conjux, nate, ſervate: hoc licet;
Excipite comitem: vos vagas umbras vaga
Umbra comitabor. Sed ut Agrippinam ſequar
Fax urget illa, cogit & vultus minax.
Quò ducis? etiam ad Tartara trahentem ſequar.
Fax hæc jugalis? vultus hic thalamos decet? (nati?
Ner. Poppæa. *Pop.* Sed vox unde, quæ, quorſum ſo-
Ner. Sabina, thalamos cur reliquiſti meos?
Tu me relinquis ſo'a ſolamen meum?
Quò me fugis? quò te rapis? venio: mane.
Quis te excitavit metus? *Pop.* Agrippinæ furor:
Quis te excitavit furor? *Ner.* Agrippinæ metus.
Annon tubarum tibi pepulit aures ſonus, Tacit.
Emiſſus inde, matris ubi tumulus meæ? Dion.
Pop. Pepulit, tumultu bellicum magno canens.
Ner. Migremus aliò. *Pop.* Scilicet cervus fugis Dion.
Percuſſus: hæret vulnus, & arundo comes.
Ner. Mutanda ſedes. *Pop.* Non poteſt ſedes nova

Mutare mentem conſciam cædis tibi.
Ner. Mihi facta cædes: vix tamen credo mihi
Potuiſſe fieri: pœna docet actum; probat,
Cui teſtis oculus, animus: inſomnem trabo
Noctem expaveſcens; trepidus opperior diem; *Tacit.*
Noctemque cupio de die, trepidum ut tegat.
Sic mihi timetur prodromus exitii dies.
Mare, littus, obverſatur aſpectu gravi:
Et planctus aures flebilis pulſat meas.
Pop. Matrumq; planctus ego Latinarũ audio. *Sen.*
Ner. Quis meque, teq; terror in ſomnis premit? *ib.*
An umbra, & error? *Pop.* Umbra, ſed qualis fuit
In ſcena Eriphyles, aut Clitemneſtræ. *Ner.* Faces
Mihi minitantes nonne Agrippinæ vides?
An video ſolus? *Pop.* Video minitantes mihi.
Ner. Tellus hiabat mihi. *Pop.* Mihi tellus hiat.
Ner. Videor cruentus. *Pop.* Et mihi cruentus ſinu
Enſem meo recondis. *Ner.* In melius libet (*Sen. ib.*
Interpretari: ſomnio Somnus levi,
Quos cogitabas de die, thalamos refert.
Thalamos perennes Inferi æterni docent.
Plangunt Latinæ, Octaviæ viduos thoros.
Regale reſonans ſpondet imperium tuba.
Clarum ominantur nomen accenſæ faces.
Nihil, niſi umbram, obſtare docet umbra obvia.
Ferrum ego recondam pace requieſcens ſinu
Tuo Sabina: hinc inferi, planctus, tuba,
Fax, umbra, ferrum, cuncta tibi ſpondent bona.
Pop. Sic Dii Deæq; facite, mihi cedant benè.
Ner. Promitto. *Umbr.* Domiti. *Ner.* Quis vocat? & unde eſt ſonus? *Suet. c. 46.*
Pop. Sonus è ſepulchro Cæſarum venit. *Umbr.* Nero.
Ner. Video ſepulchri ſponte patefactas fores:
Audio vocantem; & totus horreſco. *Umbra.* Nero.
Ner. Materna vox eſt: cur vocas? quò me cies?
Venio:

Venio: sed umbra evanuit. Quantum est malum,
Sine matre, nec cum matre tranquillo frui
Potuisse regno? At ante nec curas pati,
Nec somniare solitus. At somnus mihi
Nunc nullus, illum aut somnium triste excipit.
Nocte antegressa, dum rego navem; excidit,
Extortus imò est, clavus: excussus trahor
Tenebras in altas, & meæ uxori trahor,
Ad loca, frequentes unde formicæ volant:
Inde simulacra quanta circumeunt, premunt,
Qualia theatro posita Pompeii vides!
Clune inde verso in simiam, Assurco meus
Capite canoros edit hinnitus tamen.
Quàm triste, turpe, somnium? *Pop.* Interpres tibi
Ero auspicata non minùs, quàm tu mihi.
Tibi mater, hujus clavus imperii, excidit;
Quem Seneca adhuc, & Burrhus extorquent tibi.
Nox, cura, forma Octaviæ tenebras refert:
Tenebrosa conjux conjugem in tenebras trahit,
Infamiamque: nigra plebs nigræ favens,
Quasi provolantes alta formicæ petunt.
Simulacra, gentes, stupida se opponunt malè.
Postrema quamvis simiæ carpant tibi,
Hinniet, & altum, & integrum imperii caput.
Clavum hinc tuum rape, rege: formicas malo,
Simulacra, tenebras, simias, merito obrue.
Nero. Sabina sis Sibylla: sed votum magis,
Quàm verum & animus concipit, & actus probat.
Nam mihi dehiscunt Tartara; intentant faces
Eumenides, angues, flagra, tormenta undique.
Et Eumenidibus savior mater furit,
Mihi quarta Furia, & quinta, mens intùs mea.
Mihi ecce Ditis arbiter sedit triplex,
Adjudicavit vulturem, saxum, rotam,
Urnam, aquilam, hiante cum fame æternam sitim.

Acheron dolores en parat, Phlegethon faces,
Cocytus ejulatum; & æternum parat.
Nec menti adhuc est, nec meæ matri satis.
O parce mater: at petis pœnas: dabo:
Requiris à me, an veriùs de me? dabo.
Do non ferendas: horror, ærumna, & tremor
Sum totus: an adhuc non placet pœnæ modus?
Quæ terra condet? quod mare sceleſtum abluet?
Terra ima capiat: mare Styge infernâ obruat.
Pop. Tibi parce Cæsar: pete Deos: precibus lita
Homines Deosque: per Magos fiant sacra: *Suet.*
Umbræ evocentur: victimâ manes piâ *c.* 34.
Placentur. *Ner.* Homines ut ferant, Dii non ferent.
Quin potiùs homines non ferent, ut Dii ferant.
Homines Deosq; qui fugit, se non fugit.
Diis submoventur impii à sacris: ego
Præconis illam conscius vocem horreo.
Nec adire limen Vestæ adorandum fero.
In me tonare, cum tonat, timeo Jovem. (*Tacit.* 14.
Pop. Prodigia narrant multa. *Ner.* Prodigiis solent
Nova nunciari imperia. *Pop.* Sol dubius stetit,
Cœptosne cursus, an Thyestæos agat:
Verso axe, medio de die perdit diem:
Stellæ sub ipso quò viderentur die. *Dion.*
Ner. Si perseveret, nil querar; in ævum occidat.
Pop. Quin cœna subito fulmine exarsit tua,
Acsi vorax Harpyia præripiat cibos.
Ner. Harpyia mater fulmine ex nostro occidit.
Pop. Enixa tortum mulier est anguem. *Ne.* Quid hoc?
Julia Neronem viperam enixa est sibi.
Pop. Fulmine perempta est alia concubitu viri.
Ner. Quid fulmen iterum, nomen invisum, audio?
Ni fulminata tu meo mirum: Sed hæc
Curet Pater Tarpeius: hic superis labor.
Ego magis homines, quàm Deos metuo, mihi

Ne

Ne machinentur odia, & ex odiis malum.
Cura levis, ira lenta sollicitat Deos.
Nec cæsa latrat, & minùs mordet canis.
At nunc & homines, & Deos, & me mihi,
Sentio molestos: & homines utinam, & Deos,
Mecum perire sentiam: sed quod sat est,
Et hos, & illos, & fugo, & fugio simul.
Pop. Potiùs utrosque qua reconcilies stude,
Nam spes utrinque.

ACT. 4. *SCE.* 3.

Ingreditur Burrhus. dein Seneca. Soph. Tigellinus. Fen. Rufus.

At ecce te Burrhus petit. (*Tacit. An.* 14.
Ner. Petit, veneno, an cæde? quid Burrhe expetis?
Bur. Tuam salutem Cæsar, & matris tuæ
Fugisse te fallacis insidias truces,
Tibi gratulantur milites læto impetu.
Ner. Verè ne dicis Burrhe? *Bur.* Da Cæsar manum
Exosculandam: testor hanc sacram manum,
Tam gaudet evasisse te matrem malam
Militia nostra, quàm suis gaudet bonis.
Ne. Ergo age, viritim singulis dono minam, *Dion.*
Posthac libenter Principis in hostes pari
Ut agantur animo: Sed mihi infenso accidit, *Tacit.*
Mea incolumitas, nec potero tanto in bono,
Nisi mœstus esse: lacrymæ invito fluunt.
Bur. Quod voluit, & quod retulit, an quisquã fleat?
Ner. Occidere volui, nolui occidi mihi.
Bur. Malim ego, prior quicunque me cædat, cadat.
Ner. Hic isset ipsa, nisi præivissem prior.
Bur. Prior ergo periit, militum applausu omnium.
Ner. At hæc Senatus ut ferat, timeo malè.
Tu Senæca ad illos, literas scribas meo

Nomine, sceleſta ut tulerit inſidias mihi;
Sed deprehenſa, quâ manum intulerit ſibi.
Me purga, at illam aſperge repetitis, novis.
Sen. Facilè patrari, haud facilè purgari poteſt,
Materne cædes: pareo Neroni tamen. *Sen. exit.*
Pop. Quid adhuc ſevero triſtis es vultu Nero?
Eſt quod triumphes potiùs, in tutum tuas
Laudes receptas: Hydra, numeroſum malum,
In matre monſtro cecidit, aut Hydræ æmula.
Te dormientem ſub dio, & puerum, draco *Suet.*
Texiſſe fertur, ſtrangulaturos fugans, *N.c.6.*
A Meſſalina, & in necem miſſos tuam.
At tu draconem, nunc vir, & vigilans, manu
Magis auſpicatâ te necaturam necas.
Ner. Memini, ut mones: ſerpentis exuvias, opus
Matris, & in auro textili armillam gero:
Cujus memoriæ tardio abjicio, diu *armillam*
Quam geſtitavi. *Pop.* Sic enim exoſæ decet *projecit.*
Omnia aboleri, quæ vel effigiem ferant.
Emancipatus nunc pupillarem exuis,
Tu ſervitutem, liber, & juris tui.
Matrem reverito nunc licet quicquid licet.
Nunc αὐτοκράτωρ imperas: non es puer.
Vir vix es: ut ſis vir, mihi votum; at negat
Auguſta: ne vir utique, magiſtri negant,
Hic, ille: ne ſis Jupiter, Juno negat.
Cur differuntur, ſi vir es, thalami mei? *Tacit. 14.*
An forma noſtra diſplicet, Othoni placens, *init.*
Quæque tibi placuit? an triumphales avi?
An verus animus? uterus in partum ferax?
Placet illa forſan uxor, aut nullam tibi
Datura prolem: aut poti is Eucero dabit,
Ludere perito tibiis Ægyptio?
Mihi nuptiales pollicite præſta thoros.
Præſtare quod vis jam potes: nonvis? volens,

Non

Non potes ? Othonem, si Nero linquis, sequar.
Ner. Poppæa, cupio, quod cupis, quàm tu, magis.
Quod cupio, dum conficio, paulisper sine.
Burrhe, viden' illam ? quin meam dico ? placet ?
Venerem, Dianam, Pallada, sub una putes.
Laudes in una nõ vides omnes? quid est, (*Tac. An.* 13.
Burrhe, quod in illa mihi deest ? *Bur.* Certè nihil ;
Nisi honestus animus. *Ner.* Nisi meus, dicas, thorus :
Quem feret. *Bur.* An ergo Octaviæ sedem auferet ?
Ner. Auferet : & illi, si volet, cædem inferet.
Bur. Absit : repudii ratio quæ tanti subest ?
Ner. Placuit : repudia nempe Cæsaribus nova.
Bur. At illa quâ displicuit, id potiùs, petam !
Ner. Quàm proba, probetur matre ; quàm prudens,
Alienus animus, forma deformis, frequens (patre,
Adulter, alvus sterilis, an Burrho placent ?
Bur. Plura petis : unum, cætera ut mittam, rogo.
His non probatis pellere insontem placet ? (*Dion.*
Ner. Placet. *Bur.* Ergo dotem redde in imperio sitam.
Ne. Quid ais ? *Bur.* Quid ajam, me Nero ne bis roges.
Sat est semel dixisse. *Ner.* Vix credo vales.
Fauces tumentes video : præclusum audio
Arcto meatu spiritum : anginam putem ! *Tacit.*
An ulcus ! ut habes ? *Bur.* Habeo me Cæsar bene.
Ner. At ego remedium faucibus mittam tuis.
Tu te quieti redde. Si mors sit quies, *Exit Bur.*
Reddam quietum ; spiritus altos premam.
Burrho improbare, quod probat Cæsar, licet ?
Libetque ? tutò ? impunè ? tolerandus mihi ?
Nec bis rogandus ? dotem, honestatem crepat ?
Increpat ? an audit ? qui potestatem dedi,
Nunc præpotentem sentio : solus regit
Illos suorum Cæsarum dominos, dare
Imperia, & eadem auferre qui assumunt sibi.
Caut' auferendus : quid moror ? morbo cadit,

Morbive

Morbive curâ, toxico? hâc hostes eant.
At qui cohibeat milites, quis nunc erit?
Pop. Prætorianis præfice regendis duos:
Duos, in unum ne omnis exundet favor:
Æmulus ut alter alteri, immineant sibi:
Minùs potentes inde, parebunt magis.
Sit spes ab uno, ab altero si sit metus.
Divisa vis, infirma. Sofronium tibi, *Tacit.*
Fenium in favorem militum, & vulgi lege.
Ille tibi similis; prosperâ hic famâ valet.
Sic tibi cavebis, consules illis simul.
Nero. Quàm providenter? ille licet isto magis
Placeat, utrumq; probo. Tigellinus comes *Suet. c.*
Sit Rufo; utrumque militum assigno ducem. *32. Poli-*
Uterque scitis, credo, quid nobis opus. *crat. l. 1.*
Nos hoc agamus, nequis ex usu suo *c. 7. Di-*
Quicquâ unus habeat, & sit ex nostro magis. *mittit*
Omnibus egebit, omnibus quisquis præest. *Cæsar*
Tig. Nō Burrhus in me vivit, aut obstat tibi: *Rufum.*
Nec spes ut ille, specto diversas ego.
Sola incolumitas Cæsaris ob oculos mihi. *Tacit. 14.*
Præsens cavebis urbis insidias satis.
At comprimendos exteros motus vide.
En Gallias erexit ille ad res novas,
Cui grande nomen Sylla dictator dedit;
Cui cura canos fecit ante annos; inops,
Atque igitur audax; cornua, ut pauper, gerit, gerit:
Simulat quietem, dum temeritati locum
Reperiat: illi Plautus ex Asia pares
Animos, honores impares, magnas opes,
Illustre jactat ex avo Druso genus.
Nec iste fingit otium; at priscos refert
Victu Quirites: Stoicum fastum fovet,
Sectamque, praxin quæ jubet, turbas facit,
Utrumque metuis; quos metuis, odio premas.

Ner.

Ner. Age, mitte in Asiam, & Gallias, ad nos caput
Utriusque qui perducat abscissum: monet
Astrologus, astra Principi ubi signant malum, *Babil.*
Visum Cometen cæde ut illustri expiem, *Suet.*
Minasque cœli à capite depellam meo. *c.36.*
Procerum Cometes sanguinem forsan sitit:
Hauriet abunde; dabitur hinc illinc satis.
Sanguine minaces nobili extinguam faces.
Tigel. At Seneca nostris obviam studiis venit.
Fœnore Britannos durus exactor gravi *Dion.*
Ad arma sævos egit, ut numquam pari
Clade rueremus: millia quot illic neci 80000.
Data à muliere (proh pudor) ut illic mare *Boudi-*
Cruore nostro flueret: ô Senecam bonum! *ceæ.*
At adhuc avarus auget immodicas opes: *Tacit.14.*
In se Quiritum studia convertit: suis
Villis & hortis vel supergreditur tua.
Laudem eloquentis vendicat soli sibi.
Nunc factitare carmina assuescit, tibi
Carmine placere ut sensit egregiè æmulus.
At equos regentis vim palàm obtrectat tuam:
Voces canentis ludit: hæc Senecam decent?
Ac si Quirinâ in urbe sit clarum nihil,
Quod non ab illo. At meta puerilis tibi
Decursa: robur, quo vales, juvenem probat.
Exue magistrum, instructus eximiis avis.
Pop. Quid odia Senecæ, quid studia, partes, opes
Memoras? id instar omnium: si quam cupis,
Abnegat: amandam at imperat, si quam fugis.
Me tibi, vigente Juliâ, comitem tulit:
Illâ jacente, me tibi uxorem negat.
Servire Senecæ (serva quàm vilis fui?)
Id est placere Cæsari: at Senecæ gravi
Quod non in usu, id Cæsari summo nefas
In amore haberi: Sic adhuc ferulam feres?

Seneca

Seneca prematur, ſpongiæ ut plenæ ſolent.
Bene paſtus aries aureum vellus dabit.
Opipara cœna eſt ex ſaginato ſue.
Sejanus ut avo, ſic Seneca profit tibi. *Tacit. An. 5.*
Pallantea Senecæ junge, qui nimias opes *14. ſ.*
Longâ ſenectâ detinet, & hoſtem meis
Thalamis Dorephorum: dives, horum hæres, eris.
Ner. Quàm cuncta doctè? Seneca, ne dubites, luet
Durum magiſtrum: elatus in cœlum, ruet.
Sed opus & arte eſt, & morâ: prudens, potens,
Nec facilè cadet, nec citò in noſtros cadet.
At noſtra conjux interim, ſterilis, gravis,
Amota per civile diſſidium domo,
Donata Plauti prædiis, Burrhi ædibus,
Inauſpicatis; pulſa mox Capuam petat:
Miles cohibeat, nequid attentet novum.
Capitale crimen tu Tigelline appara:
Servilem amorem vilis Euceri objice:
Age quæſtiones; funem, facem, ferro exprime,
Ancillæ in illam vera, vel falſa annuant.
Accitus ad nos peraget Anicetus ream. *Exeunt.*

ACT. 4. SCE. 4.

Senatores in Curia. C. Vipſanius Coſſ. Fontius Coſſ. Thraſeas Patus. Helvidius Priſcus.

C. Vip. Moderator orbis Cæſar has ad vos Patres
Dedit exhibendas literas: illas legam.
Dii me, Deæque, quàm pereo, pejùs velint *Tacit. 14.*
Perire, ſi quid, quo modo, ſcribam, ſcio.
Ut criminetur filius matrem, grave:
Gravius, ut illa hunc crimine infando petat.
Non niſi dolenti filio mater perit:
Perit volenti, perdere immeritum volens.
Quid multa? mater (mater, agnoſco, mea,

Si mater, in me quæ ſcelus ſtrueret, fuit)
In me, miniſtro ſceleris Agerino, ſcelus
Paravit, animo conſcio, & eodem luit.
Percuſſor ille, & illa, percuſſi ſuo
Scelere: nec ullum ſcelus Agrippinæ novum.
Speravit illa jam diu nimium potens
Populi & Senatus dedecus, verba in ſua
Totas cohortes militum abituras: tamen
Infenſa vobis, militi, plebi, irrita
Diſſuaſit illis dona: ſed vobis, Patres,
Periculoſas ſtruxit inſidias, mea
Quas cura repulit: quin labor quantus mihi,
Invidia quanta, ne lacrum irrumpens forum
Pro Curiâ reſponſa Legatis daret?
Quàm Claudiana tempora inclament ream,
Nil dico: ſed tum ſceleris eſt actum nihil,
Quod non ab illa: nunc prope abſorptam mari
Audiſtis, & tum melius abſorptam putem,
Quàm ſcelere, quàm vi, quàm manu tandem ſuâ.
Sed nec ego, nec vis, nec ſua ipſius manus,
Fortuna at illam publica extinxit. Patres
Statuite, merita quod mea, & matris ſerenæ. *Exiturus.*
Thra. Rumore Seneca vix bono ferri poteſt,
Huic ordini qui talia: ſed abeo ſilens. (Quia
Helvid. Cynoſura noſtra cur abis Thraſea? *Thra.*
Proferre neque quod velim; ſed quod queam,
Nolo: Ordo noſter ſervit, oblitus ſui;
Ad ſervitutem nata mancipia ut putes.
Si bene: periclum eſt; ſi malè, ſceleſtum loqui.
Helvid. At nunc perieli tute tibi cauſam facis:
Nec das initium, liberi ut ſimus magis.
Thra. Si me perimeret ſibi refragantem Nero,
Mihi gratularer, gratias illis agam,
Qui blandiuntur Cæſari: ſed ſi Nero
Vel blandientes tollit, & tollet, mori

Cur

Cur frustrà oportet turpiter, vitâ frul
Cum licet honestâ liberos, linguâ erutâ ?
Sermonem habebunt posteri de me : sed hos
Quâ re meminerint, nisi trucidatos probe ?
Occidere potest, non potest Thraseam Nero
Lædere : quod audi, quodque naufragium refert,
Quis fortuitum credat ? aut adeo est hebes ?
Tantumne malier ? naufraga an tantum audeat ?
Unus cohortes Cæsaris, classis, petat,
Perfringat unda ? non probo : non est ita.
Pietas in illo, facinus in nobis foret.
Nec ego Neronem culpo, sed Senecam magis ;
Confessionem Seneca sic scribit ream ?
Immanitate Nero superat omnem fidem,
Quæstũq;. Sed vos agite, sine Thrasea, ut lubet. *Exit*
Fon. Decreta sic sunt: nomine Neronis, Deis *Thra-*
Ut supplicetur omnibus, & aræ omnium *seas.*
Omnes petantur : utque Quinquatrus, quibus
Insidiæ apertæ, exinde ludis annuis
Celebrentur : hujus ut sit omne ævum memor.
Principis imago, Palladis imago simul,
Aurea locetur : sitque Agrippinæ dies
Inter nefastos utique natalis dies.
Sic de Nerone sospite Senatus tulit.

ACT. 4. SCE. 5.

Octavia profuga. mox Seneca.

Octavia. Nata in miserias, quid querar ? quid non
Queri juvaret, si queri quicquam juvet : (querar ?
Et facile, si fas : obvia querendi seges ;
Sed messis intercluſa : cum pressit malis,
Quis, nisi tyrannus, fiere quod fecit, vetet ?
Magis an inundet me dolor, dubium, an timor :
Timor an dolores augeat ; an abdat magis.

De

De matre, patre, fratre jam vetus est dolor.
Nocens nocentem sustulit matrem pater:
Fratri dedit venena, cum fratrem dedit.
Dedit maritum mihi, sibi mortem dedit.
Nec mihi maritus, qui velit amari, datur,
Sed amaritudo exosa, quæ cor exedat.
Nec nuptiarum, at funeris primus dies.
Nisi luctuosum, triste, funestum nihil.
Nihil est Atridæ filia, & Orestæ soror,
Defens utrumque, si meos luctus putem;
Miseranda, misera, nata, soror, uxor quoque:
Nata, soror alios; se queritur uxor magis.
Ancilla dominâ potior, Acte ausa est nefas,
Actumque de me docuit: illam autem expulit,
Imo & me, & illam, nupta in uxoris necem
Poppæa: sed adhuc aliquid horresco amplius.
Amplius an aliquid? an metus omnes mala
Vicere nostra? an timeo ne moriar? nec hoc?
Pellar? nec illud: pulsa ne crucier? nec id.
Sed crimen omni gravius exitio mihi.
Modo crimen absit, adsit exitium mihi.
Exitium & aderit, cum sit exilium imminens.
Pallere nullo crimine, scelestum nihil
Conscire, murus æneus habetur mihi.
Sortem at veretur innocens, legem nocens.
Sed crimen absit; deprecor hoc unum Deos.
Sen. Augusta, quò te fata luctentem trahunt?
Oct. Nos, Seneca, fugimus; tu philosopharis domi.
Sed num philosophi fugin uxores docent?
Pellere pudicas, capere meretrices domo?
Itane docebas? itane discebat Nero?
Nequiter uterque: uterque nequitiam luat.
Monstrum est philosophus aulicus: neutrum puto,
Uterque qui vult esse: conveniunt male. *Pelicr.*
Me Capua, sed te Curia potentem capit. *l. 5. c. 10.*

Nec

Nec illa me, quâ cepit Annibalem, capit.
Sed ista, te tutare, ne captum enecet,
Ut odore dulci pardus allectas feras.
Sed tibi, sed illi, sed meliùs urbi velim.
Modò bona fama, castitas, pietas, pudor, (*Abit Octavia.*
Mecum miserix, supplicia, mortes eant.
Sen. Solus. O digna summis laudibus, thalamo Jovis;
Indigna tantis cladibus, factis feris;
Vincis philosophos fœmina, virago viros.
Testare fugiens exules tecum Deos,
Nihil hîc relinqui, nisi stuprum, cædem, scelus.
Illam ista ferre cum video, quæ spes boni?
Vires, ut olim, haud artibus nunc sunt bonis. *Tacit.*
Amotus alter, ad bonum qui dux erat: 14.
Ego morte Burrhi infringor, ut ne sim potens.
Ad nequiores nequior vergit Nero.
Me criminantur, quibus honestatem libet
Calumniari: crimina hæc produnt mihi,
Quibus ulla honesti cura; qui (pudor est loqui)
Quàm pauci in aula; imò quam nulli: pius
Aulâ exit: exi Seneca, & in temet redi.
Nô quæro latebras: nô abeo inermis, fugax: *Senec. tranq.*
Sint salva reditu signa: referatur gradus.
Ab urbe in orbem redeo: patria orbis mihi. *l. 1. c. 3.*
Pars magna deseratur; at major manet.
Nec summa, nec sors infima probetur tibi;
Periclitari summa, contemni infima.
Consiste citrà: sit potestati modus, *tranq. c. 10.*
Authoritati terminus: ne sis onus
Pendens, ut aliis, sic tibi nimiùm grave.
Descende cautè, ne parùm cautus cadas.
Fortuna magna, servitus magna est: fuge, *ad Polyb. c. 26. 9.*
Fuge magna; cogè temet: ut tu sis malus,
Numerus malorum ne faciat: in te redi.
Est aula ludus; ludit, illudit; vide.

Est aula Siren; cantat, incantat: time.
Est aula cavea: claudit, includit: cave.
Est aula hyæna; comprimit, perimit: fuge.
Aut aula nihil est, aut scelus, fucus, dolus.
Paucos beavit, perdidit plures: sed &
Hos quos beavit perdidit: ab aula redi.
Sic Seneca sentis aulice? ferendo probra,
Grates agendo, tam diu, nimiùm diu, *Dur. Pasc.*
Ego vixi in aula: præmia reporto duo, *Aul. Pal.*
Et pœnitere, & sapere: peccatum est satis, *pag. 251.*
Satis aulicatum: vive tibi Seneca, & sape. *pag. 349.*
Colere potentes, dulce inexperto; sed est
Experto amarum; vel metum ferr, vel malum.
Quid imperantis gratia? æstiva est quasi
Aura, mare placidum, somnium, Lunæ status.
Nero, ignis instar: nec propè habita, nec procul.
Cui fulminata est Juno, num parcet tibi?
En sævientis cerno flagrantes notas.

Nero cum Plauti capite in manibus.

Ner. Venistin' hem cognate, & imperii æmule?
Salve imperator: quin Nero posito metu
Conjugia maturare Poppææ parat,
Dilata te terrente? quin pellit thoro, *Tacit. 14.*
Quamvis modestam Octaviam? at populi gravem
Studiis, & alto Claudiæ titulo domus?
En Seneca, Plautus venit: at truncus quidem;
Et gratior, quàm Plautus in scena histrio.
Sene. Horresco: tanta decuit in tantum virum?
Ner. Agnosco: quantus? at capite nunc est minor.
Tantusque, cernis, venit in nostras manus.
At ei, fatebor hercle, tam grandem viro
Fuisse nasum nescii: ô quantus fuit?
Diadema nostrum forsan hoc deceat caput.
Imò hic triumpho; laureâ cingo caput. *Dion.*
Sen. Civica corona cive servato datur,

Non

Non cæso. *Ner.* At hostis lauream cæsus dabit. (nisi
Sen. Num Plautus hostis? *Ner.* Plautus, & quisquis
Præripere cupiat lauream, sic, sic eat. *Caput proculcat.*
Se. Nec multa medicu funera, nec altũ decet. *Se. clem.*
Supplicia multa Cæsarem, patriæ patrem. *l. 1. c. 24.*
Ner. Medicum severum intemperans æger facit.
Miser misericors; facilè qui parcit, perit.
An deceat hoc me nil moror: satis est, licet.
Sen. Ægr', vel ægros urere, medentes solent:
Curare, non secare, clementes volunt.
Ner. Putrida vel illis membra resecantur, magis
Contagiosa, reliqua ne tabem trahant.
Sen. Pars meliùs ægris ægra, quàm nulla hæreat.
Ner. Pars ægra sanis secta dat sanos magis:
Strumam execare liceat, & deceat malam.
Tollit inimicos. *Sen.* Reddit inimicos magis.
Augustus astra & gloriam clemens tulit. *ib. c. 9.*
Ner. Triumvirorum tabula quàm clemens docet.
Sen. Cinnæ pepercit. *Ner.* Cinna parcentem dolo
Voluit recente perdere. *Sen.* Pepercit tamen. *Tacit.*
Ner. At hunc Senatu movit offensus Patrum. *l. 14.*
Sen. Graviora sunt hæc ludibria, quàm sunt mala.
Ner. Quicunque vel suspectus, imperium mihi
Vel velle somno tollere, peribit prior.
Sen. Utcunque cædas plurimos, illum tamen,
Qui surrogandus, cædere priorem nequis?
Ner. Utcunque cædas plurimos, illum tamen,
Qui surrogandus, cædere priorem nequis?
Mentem efferatam frangis hoc dicto: nequit
Successor interire, nisi strage omnium.
At illa strages omnium ô utinam irruat.
Sen. Quin tua perenni sobole fundetur domus.
Ner. Poppæa quam det. *Sen.* Imò quam conjux tua.
Ne. Sterilis. *Se.* Quod annus non dedit, plures dabunt.
Ner. Infesta. *Sen.* Amoris solus est adamas amor.

Ner.

Ner. Invisa. *Sen.* Amorem vincit alienum fides.
Ner. Suspecta. *Sen.* Non convicta. *Ne.* Sed conjux mea
Non pura modò sit labe, sed labis metu.
Sen. Quis suspicatur? *Ner.* Cæsar; & pepulit ream.
Se. Populus gravatur. *Ne.* Populus id curet. *Se.* Queri
libiq; vulgus audias. *Ner.* Vulgus leve. (*Tacit.* 14.
Sen. Grave, quòd queratur: per merita divi patris,
Per studia populi, per sacram imperio manum,
Per conjugales te Deos, Cæsar, precor,
Prius audiatur, post repudietur rea.
Ner. Age, revocetur: sed Tigellinus ream
Si quæstione facta in ancillas probet,
Rei scribit, & loco, & pœnæ modo.
Se. Nunc causa, Cæsar, si vacat, agatur mea. *Tac. An.*
Octavus agitur annus imperii tui, 14.
Decimusque quartus, quo tuæ admotus sagæi,
Opes, honores fero redundantes; nihil
Fœlicitati, nisi modus, ut absit meæ.
Exempla magna hæc, non meæ, at fortis tuæ.
Secretum Agrippæ suave Mitylenes dedit
Augustus; ipsa in urbe peregrinum otium,
Cæsare ferente, agente, Mecœnas tulit:
In bello Agrippa, in pace Mecœnas comes.
Utique magnis magna pro meritis bona.
Merita mihi minora, majores opes.
Novus anteivi nobiles, proceres eques.
Fateor: sed ista dona sunt, Cæsar, tua.
Mensuram uterque implevimus; quantum queat
Princeps amico dare, dabas: quantum queat
Accipere amicus, principi acceptum fero.
Incumbit hinc mihi invidia, sed te minor.
En peto levamen, de via fessus, senex,
Vel levibus impar muneribus: istas opes
Tuos in usus auferat Quæstor tuus.
Nec pauper inde, sed magis liber, tibi

Reddam

illa, quæ fulgore perſtringunt ſuo.
lis & hortis quod vacat, id animo vacet.
Tibi tot per annos regimen invictum, & vigor
Supereſt: amici conſilia dabimus ſenes,
Quanquam vacantes: me quòd ad ſumma auxeris,
Qui modica tolerem, cedet in laudes tuas.
Ner. Reſponſa ſubita Seneca docuiſti dare.
Senibus remiſit otium Auguſtus ſenex:
At conglobatis exuit neutrum bonis.
At magna bello (ſic opus) meriti: haud minùs,
Ratione puerum qui fovet, juvenem inſtruit.
Æterna merita & munera Neroni tua.
Tibi multa per me; ſint licet: plures tamen
Plura tenuerunt, ſed tibi haudquaquam pares.
Te ditiores eſſe libertos pudet.
Quin charitate primus, es primus loco?
Tibi conſtat ætas; ego ſpatia regni tero
Propè prima: ſi qua lubricus pecco, regis.
Si me relinquas, ſi tuas reddas opes,
Et mea tyrannis, & mea feretur fames;
Non tibi quietus animus, aut lucri modus.
Sit continentis magna laus; non eſt tamen
Sapienti dignum, dedecus amico ſuo
Unde parat, inde gloriam ut captet ſibi. *Sen. conſ. ad Pol. c. 26.*
Quid plura? ſi te Seneca tu debes mihi,
Ne te indigenti ſubtrahas: Atlas polo
Subducat humeros, Herculem pondus premet.
Cape ſigna amoris, oſcula, amplexum, manum.
Citiùs peribo, Seneca, quàm noceam tibi.
Sen. Perpetua velit hæc Jupiter nobis bona.
Ner. Conſide, fruere. *Seneca dimiſſus exit. Intrat Anicetus.*
Sic odia blandis tego,
Sic natus, aſſuefactus. En alter venit *Tacit.*
Anicetus, odio jam gravi, at forſan levi
Poſt facinus illud gratiâ: facti gravis

Miniſter,

Miniſter, acſi exprobret, aſpectum gravat.
Nec debitori creditor gratus venit.
Eò uſque læta merita, dum exolvi queunt,
Ubi anteveniunt, odia ſuccedunt magis.
Operæ prioris quàm memor, non eſt opus *ad tam*
Referam Anicete: ſolus auxilium, ſalus, *convertitur.*
Vita, incolumitas; matris inſidias meæ
Solus fugaſti authoris in dirum caput.
Locus haud minoris gratiæ en inſtat; thoro
Octaviam ſi pellis infenſam meo.
Nec opus, ut olim, eſt aut manu, aut telo: ſtuprum
Fatere rebus utile novandis tuum.
Occulta primùm præmia in præſens feres:
Majora deinde, quóque ſecedas, loca
Amæna: mortem, ſi negas, meritò feres.
Anice. Priora ſcelera quàm facile juſſu tuo
Fuit peragere? nunc quod imponis, minùs
Difficile: ſcelera me mea, ut pergam, monent:
Nec me modò ſcelus, magis adhortatur ſalus.
Fingam, fatebor plura, quàm Cæſar jubes.
Facta approbavi: dicta ne dubites mea. *Intrat Tigellinus cũ*
Stuprare corpus non licet? nomen licet. *Nero.*
Ner. Age, quæſtioni, quâ Tigellinũ vides *Pythid.*
Agere in miniſtras, confitens acta reus. *Exit Nero.*

Tigellinus. Pythias. Anicetus.

Tig. Jã torta ſatis Ancilla, quin prodis reã? (nocẽs.
Pyth Dominamne prodã famula? *Tig.* Si domina eſt
Pyth. At innocentem? *Tig.* Prode; vel coget dolor.
Pyth. Nõ coget ullus ut probã prodã, dolor. (mihi.
Tigel. Hos mulier animos? *Pyth.* Mollior, at animus
Tig. Huc aliquis ignẽ. *Pyt.* Flãma purũ aurũ probet.
Tigel. Adulterinum potiùs. *Pyth.* Et adulter quis eſt?
Tig. Eucetus. *Pyth.* Adde, ſervus. *Tig.* Et adulter tamẽ.
Pyth. Mentiris imã ſæve quæſitor gulâ.

Corvum